

QUAE SIT DOCTRINA APUD PLATONEM

DE PULCHRO ATQUE INGENUIS ARTIBUS

ET QUOMODO EA CUM POLITICA EJUSDEM COHAEREAT

ə

QUAE SIT DOCTRINA APUD PLATONEM

DE PULCHRO ATQUE INGENUIS ARTIBUS

ET QUOMODO EA CUM POLITICA EJUSDEM COHAEREAT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

J. PÉRÈS

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

« Ὦ ἄριστοι τῶν ξένων, ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης. »

(Leg., VII, 817 b.)

GRATIANOPOLI

EX TYPIS ALLIER FRÈRES

MDCCCXCVIII

MEMORIAE

DOCTISSIMI MAGISTRI ET OPTIMI VIRI

L. OLLÉ-LAPRUNE

PRAEFATIO

Disceptationem instituentibus de aesthetica simul et Politica Platonis quomodo inter se cohaereant, scilicet de haud parva hujus philosophi doctrinae parte, — haud alienum a nostro scopo erit pauca de Socrate disserere scilicet de eo qui vicissim fuerit magister Platonis, et persona in Dialogis pro Platone verba faciens ac forsitan non parum dissimilis a vero Socrate, et obiter inquirere quatenus vel persona vel doctrina hujus incrementum vel mutationem acceperint, in Platonico, ut ita dicam, agro satae. Et non modo non alienum a nostro proposito, verum etiam huic necessarium illud prooemium apparebit si modo haec considerabimus :

1° Culmen Platonicae doctrinae Politicam fuisse[1], Politicam scilicet descriptionem et imaginem pulcherrimae civitatis et perfectissimi hominis ; ex quo praesagiri facile potest Politicam Æstheticam involvere, et hanc maxime circa ideam bene compositae civitatis egregiique civis versatum iri ;

[1] Non aliter ac maximum Platonis opus et maxime et longius elaboratum et quasi medullam doctrinae in ceteris dialogis sparsae complectens videtur fuisse Πολιτεία.



QUAE SIT DOCTRINA APUD PLATONEM

DE PULCHRO ATQUE INGENUIS ARTIBUS

ET QUOMODO EA CUM POLITIA EIUSDEM COHAEREAT

ò

QUAE SIT DOCTRINA APUD PLATONEM

DE PULCHRO ATQUE INGENUIS ARTIBUS

ET QUOMODO EA CUM POLITICA EJUSDEM COHAEREAT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

J. PÉRÈS

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS


« Ὦ ἄριστοι τῶν ξένων, ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης. »

(Leg., VII, 817 b.)

GRATIANOPOLI

EX TYPIS ALLIER FRÈRES

MDCCCXCVIII


HARVARD COLLEGE
AUG 30 1922
LIBRARY

MEMORIAE

DOCTISSIMI MAGISTRI ET OPTIMI VIRI

L. OLLÉ-LAPRUNE

PRAEFATIO

Disceptationem instituentibus de aesthetica simul et Politica Platonis quomodo inter se cohaereant, scilicet de haud parva hujus philosophi doctrinae parte, — haud alienum a nostro scopo erit pauca de Socrate disserere scilicet de eo qui vicissim fuerit magister Platonis, et persona in Dialogis pro Platone verba faciens ac forsitan non parum dissimilis a vero Socrate, et obiter inquirere quatenus vel persona vel doctrina hujus incrementum vel mutationem acceperint, in Platonico, ut ita dicam, agro satae. Et non modo non alienum a nostro proposito, verum etiam huic necessarium illud prooemium apparebit si modo haec considerabimus :

1° Culmen Platonicae doctrinae Politicam fuisse[1], Politicam scilicet descriptionem et imaginem pulcherrimae civitatis et perfectissimi hominis; ex quo praesagiri facile potest Politicam Æstheticam involvere, et hanc maxime circa ideam bene compositae civitatis egregiique civis versatum iri;

[1] Non aliter ac maximum Platonis opus et maxime et longius elaboratum et quasi medullam doctrinae in ceteris dialogis sparsae complectens videtur fuisse Πολιτεία.

2° Doctrinam illam Politicam quasi ἀντίστροφον atque praeparationem habuisse disceptationem hanc quam adversus Sophistas sive Socrates ipse, sive Plato Socrate veluti dramatis persona utens egit, et non modo adversus quosdam sophistas, sed adversus illorum professionem et illud omne docendi genus quo usi sunt, et circum ea versans quae se docere jactabant, et simul cum priorum morum et status civitatis mutatione nexum; et disceptationem Socraticam illam involvere imaginem quamdam civitatis vel qualis aliqua in priore tempore exstiterit, vel qualis a philosopho aliquo restitui aut institui possit;

3° Totam Politicam Platonis (et Æstheticam simul) in institutione quadam vel puerorum et juvenum per scientias, vel adultorum per leges esse; — et Socratem, si certe aliquis fuerit praecipue educatorem fuisse, et omne certamen inter vel verum vel fictum Socratem et sophistas de proposito et methodo docendi fuisse.

Inter illam adversus Sophistas disputationem sive Platonicae doctrinae partem quae destruit, et Politicam sive partem quae struit, locum tenet dialectica, vel progressus vel ascensio in qua pulchritudinis amore praecipue stimulatur intellectus, quae dialectica nulla ascensione melius illustratur quam illa in qua a contemplatione cujusdam pulchrae rei per gradus debitos ducimur ad contemplationem pulchri ipsius, vere pulchri, id est veri, id est vere existentis.

QUAE SIT DOCTRINA APUD PLATONEM

DE PULCHRO ATQUE INGENUIS ARTIBUS

ET QUOMODO EA CUM POLITICA EJUSDEM COHAEREAT

« Ὦ ἄριστοι τῶν ξένων, ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης. »

(Leg., VII, 817 b.)

PRAEPARATIO

Ex vita et persona Socratis, quales in Dialogis effinguntur, colligitur idea et exemplar quoddam civitatis et viri tum vigens, cum quo professorium sophistarum munus non congruebat.

Socrates disceptator fuisse videtur quemque docens cogitata recta ratione deducere et ordinare, civis bonus, videlicet parum legens ut pote nihil scribens, sophistarum disciplinis minime tinctus ut qui publicas lectiones eorum tantum audivisset, non esotericas, urbi suae maxime devotus. Platonis minus popularis vita, modo umbratilibus studiis, modo itineribus dedita; necnon tamen is publice agendi cupidus fuit, sed non in urbe sua, foris potius. Fortiter impressa imago Socratis in juvenili ejus corde ibidem crescit, alitur et augetur eadem ratione ac sermones illi viventes et animati de quibus in Phaedro disseritur, in mente quam philosophia praegnantem facit scripti vel potius sati[1]. Praegnans

[1] Phaedrus, 276 a.

illa mens et semina reddens Platonis ingenium est. Et hoc ipso Phaedri loco, quantum scriptis praestent verba et vox viva magistri Plato testem se profitetur mira modestia tanti discipuli erga magistrum, tam concinni scriptorum artificis erga eum qui vita ipsa non verbis tantum docebat, opificis eruditissimi erga simplicem virum.

Contra illam Socratis familiaritatem cum quovis Atheniense qualibet conditione congredientis et colloquentis, Plato nobis apparet sane negotiorum publicorum curiosus, sed potius fovens aliquam perfectae Civitatis ideam et admirator reipublicae cujusvis aliquod Civitatis suae simulacrum referentis (nempe Spartae), vel quaerens ubi illa nasci posset (Syracusis videlicet), quam rebus Athenarum attentus ; Philosophia ejus, uno verbo, Politica est non sine grandi per philosophiam ipsam circuitu. In quo multum dissimilem Plato se praebet rhetoris vel politici[1] aliqua ἐμπειρίᾳ[2] contenti ut cui satius sit per quaelibet artificia suadere quodvis et placere quam docere, et hominibus imperare blandiendo quam eos meliores reddere eorumque utilitati consulere[3].

Nunc verane an ficta illa Socratis cujusdam adversus sophistas pugnacis imago est quam nobis in dialogis Plato refert? Re ipsa nobis videtur Plato, postquam vita

[1] κινδυνεύει γὰρ ταὐτὸν εἶναι, ὅσοι τε πολιτικοὶ προσποιοῦνται εἶναι καὶ ὅσοι σοφισταί. Gor., 519 c.

[2] Gor., 462 c.

[3] Gor., 501 e et seq — 515 c ad 519 d. Necnon Pericles ipse in eamdem vituperationem cadit in hoc Gorgiae loco, quamvis alias (Phaedrus, 270 a) a Platone magnifice collaudatus.

magistri exacta illius personam et totam ingenii indolem bene mente complexus fuit, minus vitam ejus qualis vere fuit exposuisse, quam illam inter Socratem et Sophistas miram (ex sua sententia) dissimilitudinem naturae et rationis et propositi illustravisse specie continui certaminis a Socrate adversus sophistas suscepti ut praecipui muneris cui vitam suam devovisset. Quae morum et ingenii dissimilitudo sane magna inter eum et illos apparebat : hinc vetus Atheniensis suae urbis amantissimus, negotiorum suorum nil curans modo posset meliores reddere cives suos nulla mercede, illinc Sophistae magis Graeciae quam hujus vel illius civitatis incolae, etiam generis humani cives[1], nec sine mercede itinerantes et sapientiam tradentes, quod facile incusatur et irridetur. Uno verbo, ubi dissimilitudo erat, certamen Plato fingit.

Et certe quosdam sophistarum ἐμπειρίαν aliquam sine ratione colentes Socratem insectantem effingere verisimile erat (quod saltem conveniebat cum illo proposito et illa de scientia doctrina quae ei jure tribui possunt), sed non omnes eum insectatum esse verisimile est, non illos qui alicujus philosophicae doctrinae aetatis prioris praecones erant; et tamen adversus illos quoque luctantem Socratem Plato nobis monstrat, scilicet Socratem quemdam de diversis philosophicis disciplinis plane instructum quem videlicet ad similitudinem morum tantum, indolis, vel etiam propositi Socratis veri fingit ; verum

[1] Ὦ ἄνδρες, ἔφη (Ἱππίας), οἱ παρόντες, ἡγοῦμαι ἐγὼ ἡμᾶς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους καὶ πολίτας ἅπαντας εἶναι φύσει, οὐ νόμῳ. Protag., 337 c.

illum Socratem ad disceptationes quarum nimirum expers fuit quasi deducit tali tamen facie, talibus sensibus ut persona secum concors sit.

Contra, sophistis potius assimulavisse Socratem aequales sui videntur, non omnino immerito. Certe minus in novitates pronus est quam sophistae illi scientiae et praecipue politicae scientiae venditores et mercenarii, sed tamen ex tali persona qualis Socrates fuit novus rerum ordo praesagiri poterat et reipsa Platonis magister cum Sophistis particeps factus est communis « laudatorum temporis acti » odii, qui, dum historicas causas mutationum non vident, hominum voluntates et mores incusant. In Socrate videlicet conjunguntur duae res parum similes, pristinorum morum conservatio, atque ingenii acies nullam caliginem vel ambiguitatem non discutiens et disputandi studium. Disceptatio enim posse videbatur civitatum instituta imminuere et labefactare, aut saltem a forensi vita et omni virili officio cives avertere. Et alioqui cum laudatoribus temporis acti idem foedus facit adversus sophistas quos Plato Anytum insectantem dum colloquitur cum Socrate in Menone fingit. Certe a Socrate conditur philosophiae disciplina quaedam firma atque in interiora magis descendens quam illa sophistorum quorumdam rapsodis similium recitatio priorum doctrinarum; neque se continet in ἐμπειρίᾳ aliqua ad artem politici oratoris attinente, inscia autem vel incuriosa propositi quod vel orator vel politicus ante oculos habere debet. Sed haec disciplina cum illa rhetorum vel sophistarum eo congruit quod ambae ultra illam παιδείαν qua contenti erant aetatis prioris laudatores et quae musica et gymnastica constabat, progre-

diuntur, quod ingenerant simul studium altioris et latioris scientiae eique studio satisfaciunt. Forsitan per Socratem utpote simul utriusque ingenii participem et studiosi novitatum quarumdam ac morum veterum, nova latius progredientis disciplinae ratio non nascitur, sed accipitur.

Etenim haec disciplina atque pariter professoria ars in civitatibus non eminent nisi sollicitando cives. Ex eo quod illi simplici et solido, non magno, sed bene composito et perfecto Ζῴῳ quod Graeca civitas erat hoc unum aliud elementum quidam inserere volebant, dissolutio timebatur. Quod pro supervacaneo habebatur, eo ipso nociturum id videbatur. Et quidem professoria ars aliud solum requirebat ; politicum corpus requirebat majus et magis multiplex quam Graeca civitas erat, cujus cum ceteris elementis illud organum bene conciliatum fieri posset. Atque jam post bella dominationis causa a potentibus civitatibus quibusdam gesta, quarum imperium nihil aliud quam discontinuam aliquam urbium congregationem continuit, illud majus corpus mox conflabitur, omnem Graeciam complectens, externa causa cogente quam nemo suspicari potuisset. In civitate autem sophista, magister philosophiae vel politicae, munus sustinet cui in perparvo corpore non est locus. Ergo externum quasi munus agit, perpetuus ille viator, eo ipso praenuntius (licet ignarus) ordinis rerum novi, et aetatis posterioris illius in qua respublica aliud ac congregatio urbium erit. Adhuc patitur praesens status civitatum eum qui partes advocati agit, oratorem verba pro alio facientem utpote amicum pro amico aut propinquo, vel etiam logographum ; sed jam satis est. In disciplinis mentis sophista,

in disciplinis bellicis imperator mercenariorum vel artis militaris magister ut Xenophon fuit, non jam alii quam Graeci sunt, vix cives ullius civitatis. Tales artes, tam particulares et tanto curiosius excultae quanto magis sejunctae a proposito cujus gratia institutae sunt, cum futuro, non cum praesenti civitatum statu quae circa paucas artes consistunt, congruunt. In civitate enim viri praecipue cives sunt, homines unius muneris, et eo quod multiplicia et varia munera assumunt, non jam talis muneris homines sunt ut id in perparvo illo politico corpore omnibus appareat clarissime et necessario cum publica re conjunctum.

Inter ceteros qui se profitebantur sapientiae doctores (praeterea quod non professus est sese talem esse) Socratis proprium illud fuit eum vere Atheniensem fuisse. Ejus opera fundari philosophiae disciplina poterat, ita ut locum occupare inter ceteras artes in recta civitate vigentes philosophi munus assuesceret, — quia apud eum φύσει, non τέχνῃ, et quasi sponte sua, philosophiae non alienigenae doctrina et disciplina nasci et quodammodo manare videbantur. Etenim meliores reddere cives sese profitetur naturali tantum amicitiae impulsu erga cives, propinquos, vicinos, familiares, homines ejusdem δήμου ; nil in eo est artis cujusvis, sed ab humana natura et quasi fraterno studio proficiscitur quidquid docet vel agit. Adde quod non lectionibus sed familiaribus sermonibus utebatur, inter populum natura mire sermonum et disceptationum semper usque ad loquacitatem amatorem, tum maxime, democratia, id est, oratorum potestate vigente. Quod totam vitam huic voluntario muneri

dedisset neglectis privatis negotiis, neglecto etiam publicorum honorum ambitu, solum id ipsum paucis singulare poterat videri. Sed quanto magis singulare et ambitiosum sit, sophistam, id est hospitem, adportare hospitibus, alienigenam alienigenis, scientiam, virtutem, imo politicas scientiam et virtutem (sed non tamen Lacedaemoniis[1], non enim indigent ea), Plato monstrat, publica opinione fretus. Quanto potior illa modestia erat qua Socrates se praestat non ut artificem et doctorem scientiae sed ut virum bona voluntate erga dilectos cives commotum. In illa aetate quam pro norma adhuc habemus ac vere « classicam » appellamus, et a qua ideam liberalis viri, liberalium studiorum, liberalis cultus traximus, non facile intelligebatur hominem aliud melius esse posse quam civem ad omnia civilia paratum et virum ex omni parte perfectum, cogitando, verba faciendo et agendo aeque aptum. Optimus autem inter sophistas (et adversus eos Plato foedus fecisse videtur cum populari aura etiam iniqua) quasi in scopulo frangitur quum ei respondendum est quovis interrogante de proposito vel fine artis sive scientiae quam docere se profitetur et definiendum qui sit ipse, quid velit, quo affectu ad docendum motus sit, scientiae amore an utilitate sua, — quum is et scientia ejus mixtum aliquid sint in quo male congruentia pugnent hinc studium doctrinae et sapientiae ad virtutem ducentium, illinc utilitatis cura et praxeos, hinc veritas, illinc bona illa et opes quae sophista discipulis se paraturum esse pollicetur et sibi ipsi pro-

[1] Hipp. maj., 283 c

mittit, hinc liberalium studiorum otium, illinc festinatio ad acquirenda et paranda aliis ea quae vulgus aestimat bona ; in sophista aliquid nimis, aliquid non satis est. Dum in illius ministerio apparet aliquid superius et altius quam id quod communi sensu concipi potest, quamque artes circa communem utilitatem versantes, simul minus explicare potest sophista propositum et utilitatem sui muneris quam illi qui fabricationem cujusvis vulgaris rei tractant, aut etiam artem aut scientiam aliquam particularem, ad materiam aliquam parvam sed certe definitam attinentem docent ; et propterea non explicare propositum posse videtur, quia non intima penetralia artis suae adiit ; atque illa quam non adiit productior scientia earum rerum quas se docere profitetur, en alia jam est ac haecce quam docere solet, non eloquentia vel politica est, sed boni et justi scientia, sed dialectica, utpote e quibus illae supra dictae pendeant. Tali quoque, certe, continuae et semper redivivae difficultati occurrit et infringitur omnis disciplina (non solum in illa aetate sed etiam in nostra), philosophiae nomine, quaestiones generales scilicet res humanas et universi naturam tractans, ei difficultati, dico, propositum definiendi et utilitatem exponendi — quum vicissim et utilitatem quaerentibus et veri amantibus fides facienda sit.

Contra scientiam illam non ab unico scientiae studio profectam, sed nimis proximo et particulari proposito inservientem, id est non viri cultum assequentem sed praeparationem ad aliquod particulare munus, et cultum quarumdam in viro facultatum ab usu earum bono aut malo sejunctarum, et contra eam scientiae discipli-

nam quae non imperat sed paret, id est moribus vigentibus qui forsitan mutandi erant sese aptam praebet, quaeque ut vera admittit ea in quibus plerique assentiunt, videlicet opes, potestatem et media per quae acquiruntur bona esse, — Socrates nobis monstratur satis rationi simul et sermoni, id est λόγῳ confidens, id est veritati, ut in suis ratiocinationibus nihil non in dubio ponat et elencho interrogationis subjiciat. Λόγῳ intelligitur simul sermo, disceptatio, vis sermonis et verborum, vis ipsa veritatis, qua veluti daemone quodam caput superbum erigente nil melius deliberantibus accidere potest quam vinci. Sed illa veritas λόγῳ generata soli menti lucet quae de vero deliberat vel secum vel potius cum alio quaeque id quaerit secundum rectam rationem et multo securius cum interlocutore per sermonem ; ita ut unius vel amborum sensus majus pondus habeat quam multorum suffragium nil rectae rationis curantium, sed cuivis falso judicio cum affectibus congruenti obnoxiorum.

Alioqui Socratem aliquem nobis praebet Plato non solum cum sophistis disputantem, sed de disciplina et magistris qui adolescentibus conveniant disserentem, et de iis rebus a parentibus in consilium advocatum, et in aliis dialogorum locis jocose et εἰρωνικῶς, in Lachete serio asseverantem nulli rei magis libenter consumendam esse pecuniam quam parandae doctrinae. De delectu magistrorum consultus discipulos Damoni musicae et politicae perito mittit; Prodico etiam, illos tantum quibus ad dialecticam aptum ingenium non est (sed id in aliquo magis Platonico quam Socratico dialogo). Uno verbo, teste ipso Platone, foedus facit cum iis qui disciplinam altius

et latius progredientem requirunt. Quod si in Dialogis prius erga sophistas modestia et reverentia plenus fingitur, posterius adversarius eorum et facete lacessens eos, versa modestia in aliquam εἰρωνείαν, verisimile est non tantum Socratem (cujus videlicet vitam in dialogis transcribere Plato non intendit) quantum Platonem vicissim varios sensus erga sophistas induisse. Illud tibi liquebit, primo si cum Protagora Lachetem et Alcibiadem primum conferes, qui ambo partes doctrinae de fortitudine in illo explicatae sed nondum hic perfecte elaboratas, et quasi τύπους continent, dialogos multum illius dissimiles eo quod in Protagora Plato videlicet pugnacior factus pugnacem erga sophistas Socratem quemdam nobis praebet. Perspicies quoque, si modo leges Gorgiam, in quo vicissim Polus, post eum Callicles Atheniensis juvenis Gorgiae cum Socrate disputanti succedunt, Platonem potius adversus discipulos sophistarum aut etiam eos qui doctrinas sophistarum in excusationem facinorum et vitiorum quam adversus sophistas ipsos Socratis aequales vel natu superiores contendisse. Dum aetatis suae malum incusans ad primam ejus originem et quasi fontem, ut sibi videtur, id est ad disciplinam et doctrinas sophistarum, recurrit, praesentes et vigentes juris alicujus secundum naturam quod idem foret ac virium praestantia defensores sub nomine veterum sophistarum ipse sub nomine Socratis eorum aequalis insectatur, his crimini imputando ea quae ex eorum doctrina quamvis invitorum ut pote plerorumque bonorum et honestorum, secuta erant. Vide ut Polus Gorgiae, postea Callicles Polo etiam objiciant quod non sint ita fortes et confidentes ut profiteantur et declarent et defen-

dant eum vivendi morem qui ex principiis eorum doctrinae profluat. Multum artis et εἰρωνείας consumit Plato in traducendo ad aetatem priorem illam inter veram philosophiam et eos qui politicam et vivendi morem ex philosophia sophistarum se trahere profitebantur, contentionem ; ita ut ea contentio inter Socratem ipsum et Protagoram, Gorgiam ac ceteros geri videatur. Ut Socrati, ita illis Plato dat omnia ea quae a doctrinis, opinionibus, disciplinis utriusque partis profluxerant.

Quod attinet ad Socratem verum, fere eisdem causis ac Sophistae emicuit et innotuit. Inter has causas notanda sunt imprimis studium et consuetudo magis disceptationis et ratiocinationis quam eloquentiae quae praecipue Atheniensibus inerant et increverant cupidine illius potestatis quam in democratia dat oratio vi sermonis et λόγου omnes contrariae opinionis defensiones dissolvens et expugnans. In gymnasiis inter exercitationes disceptatio gerebatur, et adolescentes, pueros quoque adeo commovebat et abstrahebat ut saepe a magistro gymnasii prohibita esset. Ex iisdem causis contra parum grati populo fuerunt et sophistae et Socrates, et hic in capitale judicium incurrit et illi ex eodem periculo aegre evaserunt, saepe lectiones et disciplinas de politica sub specie alius cujuspiam scientiae vel τέχνης dissimulare coacti. Inter has causas notanda sunt : suspicio secretarum artium (intellige orationis pellaciam in quibusdam et incantamenta) olim paucis, nunc omnibus satis nummatis a Sophistis impertitarum, per quas potestas et opes simul ac libertas civitatum facile subriperentur, — invidia eminentis intellectus, inscitiae suae indul-

gentia et odium illud latius productae disciplinae et novi vel etiam felicioris ordinis quod in laudatore aetatis prioris Aristophane apparet. Et sane disciplina illa quae oratorem et politicum informabat, late diffusa et ignobilibus pariter ac bene natis eisque qui pro sponsoribus longam seriem avorum de civitate bene meritorum habebant impertita, eo ipso aemulationem, ambitum et invidias in civitate augebat. Adde etiam his causis animos potestatis et morum inclinationi intentos et, ut saepe incusatur artium et scientiarum splendor qui cum summo potentiae in aliqua civitate competit, ejusdem potentiae quae non poterat nisi decrescere inclinationis, — ita incusantes jam proximae patriae deminutionis nimis florentem philosophiae disciplinam. Illa quae etiam a Platone sophistis objiciuntur, Socrati quoque objiciebantur. Et quidem non cuilibet datum erat Socratem a quovis controversiae amatore dignoscere, sed tantum iis qui sanctitatem ejus et altam sapientiam gustaverant et penitus perspexerant. Primo aspectu speciem habere poterat sophistae verba cavillantis Euthydemi more. Atqui aliquid lusus istius interdum inest ejus ratiocinationibus. Sed ne obliviscamur Socratem, quum eam rationem tenuerit sententias hominum de rebus humanis vivo sermone expressas colligendi et sententiam ipsam in verbis subjectam dispiciendi, vim verborum imprimis ante oculos habuisse ut firmum aliquid quo omnis ejus doctrina stabiliretur. Ergo pro certo habet verbum et sententiam sermonem et cogitationem unum esse, utpote uno verbo « λόγῳ » expressa. Λόγῳ, lege illa et quasi Deo colloquentium non modo dialectica vel etiam ratio bene disserendi apud Platonem intelligitur, sed

sermo quoque, vis verborum, etiam in duplici illo sensu quibusdam verbis subjecto respicienda et quasi verenda, modo dialecticus vero perspiciendo probe addictus sit.

Ne multa, in Socrate fuit alia specie nonnulla cum sophistis similitudo vulgo maxime conspicua, alia specie dissimilitudo quam mors ejus sanctitatis argumentum patefecit. Nec adversarius profecto sophistarum universo generi fuit, ita magnae varietatis capaci ut in eo copia eminentium et integerrimorum virorum inveniri posset; sed is fuit per quem corrigeretur et mitigaretur nimia illa confidentia eorum qui munus sapientiam docendi sibi assumebant et prae se ferebant. Per eum etiam ista coarguebatur cura nimia apud sophistam (cui discipulos illicere necesse est) et apud discipulum ejus, disciplinae talis qua quivis vel ingenii mediocris brevi tempore ad oratorium negotium imo ad capessendam rempublicam instrueretur et quasi deduceretur. Et certe cujusvis scientiae aut artis professio hac necessitate laborat ut una suo proposito, id est vero, id est rationi meliores et discentem et docentem reddendi inservire cogatur, atque eodem tempore emolumento et magistri et discipuli, quum ille mercedem suae operae ad vivendum merito quaerat, et hic ex doctrina potius incrementum opum et potestatis et rerum suarum quam sapientiam ipsam exspectet. Contra hos, aut potius juxta eos qui rempublicam se gesturos profitebantur, aut se tales informaturos viros qui supra cives suos se extollerent potestate orationis subigentes eos, et aliud propositum veritatem esse, aliud utilitatem declarabant, aliud doctrinam, aliud negotia, rerum tractationem, — necesse erat ut quisquam unus effigiem aliquam scientiae et disciplinae cum

privata et mercenaria quadam tantum utilitate non conjunctarum monstraret, et usum nihil esse sine ratione, artem sine quodam bono proposito, eloquentiam sine sapientia, opes et potestatem sine recta ratione iis utendi ostenderet. Cum non tantum adversus sapientiae professores dimicet quantum eorum munus quod aliquid inauditi et facticii habebat cum natura quasi componit utendo familiari et benigno more docendi, — per eum et cum eo potius consummatur quam ab eo refellitur institutio novae illius disciplinae. Transitus a pristina disciplina circa musicam et gymnasticam versante ad novam et inauditam et cum vetere civitatum habitu adhuc male congruentem ac suspicioni obnoxiam, et quasi commissura inter eas, in illo siti sunt qui caritate erga cives suos eos philosophiam docuit.

PARS I

PULCHRUM

1. Sensus ille peritus judicandi de pulchro ac de eo quod ut naturale intelligitur, pertinet quoque ad rationem Politicae et Institutionis. — 2. Pulchrum ut cum amore conjunctum. — 3. Pulchrum et bonum; e quibus naturis concreta sit natura pulchri. — 4. Pulchrum per se; ut pulchrum secundum naturam ac pulchrum secundum animum componuntur apud liberalem hominem, vel philosophum, vel custodem aut principem Civitatis; dialectica.— 5. Id quod in natura pulchri ad sensus pertinet; physica; homo duplex. — 6. Natura humana eo ipso pulchra quo pura et integra; musica ac politica. Legumlator ut medicus civitatum et connubiorum praeses. — 7. Conclusio; pulchrum ut humanum aliquid, non a vero et justo sejunctum.

1. — Non inutile fuit Socratem verum a Socrate illo in dialogis verba faciente dignoscere. Et jam enim ex eo Socrate quem Plato effinxit, apparet qualem is velit aut non velit esse civitatem, qualem virum in civitate, quid utrumque ex sententia ejus vel pulchrum, vel deformem efficiat. Ut enim scientia moralis apud Platonem hominem et civitatem simul amplectitur, ita haec aesthetica ad hominem in civitate pertinens cum illa aesthetica civitatem veluti Ζῷον aliquod tractante conjungitur; adeo ut et aesthetica circa civilem scientiam versetur, et politica in quamdam aestheticam evadat et desinat. Atqui exemplo

assumit Plato, pulchras res enumerans, tantum leges et instituta quantum hominum operam (ἐπιτηδεύματα). Sensum illum qui hominibus imprimis societate congregatis inest, peritum judicandi quid pulchrum quid indecorum sit, nec adeo vulgaris sensus dissimilem, redarguens sophistarum laudationem injusti testatur, dum in gestis pulchrum et honestum idem esse his objicit; eumdem testatur quoque redarguens novitates in rempublicam simul cum sophistis ingressas. Raro enim novum aliquid in rebus, sive in aedificiis, sive in πολιτείαις aut moribus, pulchrum videtur; assuetum potius pro pulchro habetur ut bene compositum et usu probatum. Contra plerisque nova res aliquid incerti habet eique inest id quo forsan res jamdiu existentes et inter se ut membra alicujus aedificii congruentes dissolventur. Et certe communis sensus, si dignoscendi veri parum peritus est, saltem de pulchro perite decernit[1]; de pulchro, id est, de convenientia alicujus rei cum natura, aut cum ordine quodam et rerum statu consuetudine quasi naturali facto ut cui nil novum inseri possit sine mutationum discrimine quarum eventus incertus sit. Atqui Plato, dum Socratis imaginem aliasque personas studiose effingit, nonne philosophiae disciplinam cum natura, consuetudine et rerum statu vigenti, ac cum pulchro simul componere intendit, et a mercenaria arte quadam reducere ad munus quoddam cujus propositum, utilitas et finis facile intelligi ab omnibus possint (cum nil pulchrum sit vere quod non universis placeat, neque placeat quod non intelligatur et comprehendatur).

[1] Nonne Kantius pro pulchro habet id quod universis placet?

Inde, philosophicam institutionem ut ex amicitia erga cives, familiares, contubernales proficiscentem repraesentat, addens insuper similitudines docentis et discentis, interrogantis et respondentis cum fetifero et praegnante vel cum obstetrice et parturiente quibus Socrates uti solebat. Postea Platonem videbimus, dum propriam struit doctrinam, politicam ita renovantem ut vera philosophiae disciplina in civili corpore necessaria aliqua pars facta sit.

Ad doctrinam Platonis de pulchro nunc deducti, hanc pulchri rationem veluti Arianae filum accipere possumus, Platonicae disciplinae sylvam et penetralia adeuntes. In ea maxime conveniunt et congruunt et materies ipsa doctrinae et species, quum tota imprimis versetur Platonica doctrina, non ita poeseos dissimilis, in patefaciendo pulchritudinem illam rerum praecipuam quae constat ex eo quod mens et eae res quae ad mentem attinent, corpori et iis rebus quae ad corpus attinent, praestant, atque eae res quae aeternitatis participes sunt, iis omnibus quae fluunt et pereunt.

2. — Haud parum dissentit ratio pulchri apud Platonem ab hac aesthetica quam nostrum aevum colit. Apud nostros, si de pulchro verbum facias, exspectant sermonem de venustate quae in rebus sive natura ipsa sive opificum arte conflatis lucet, de illo affectu quem sive artifices sive poetae elicere suerunt, voluptati oculorum vel aurium inservientes. Illis vero Atheniensibus exculti ingenii quos cum Socrate disputantes Plato inducit, praeter sermonem de civili negotio aut virtute, paene nullum aliud oblectamentum otii dignum liberali et

ingenuo viro videbatur. Assidere spectaculo, inhiare arboribus aut scopulis[1], etiam de his rebus potius quam de humanis rebus verba facere paene hominum est[2], certe vacuorum ingeniorum, taedio obnoxiorum quum non habeant ex se de quo disserant, et illis similium qui sermonum minime periti tibicinas et saltatrices advocant. Uno verbo Plato et pulchrum et honestum vel decorum intelligit et verbo hoc καλῷ saepius ad expromendam honestatem gestorum et virtutum quam venustatem rerum utitur. Si non ad pulchritudinem animi et gestorum omnino pertinet pulchrum id de quo Plato disserit, saltem hocce pulchrum quod ad formam et speciem humanam pertinet, agitur; et profecto nonne prius humanum aliquid pulchrum est, postea idem ab homine rebus tribuitur ex similitudine earum sibi.

Primum in dialogo qui Hippias major inscribitur, in quo Socrates nobis monstratur multo labore assequi tentans ut sophista quid sit pulchrum definiat, nec tantum, ut saepe fit, exempli causa ea quae merito aut non pulchra appellentur proferat, Plato instituit pulchrum nec esse id quod deceat et conveniat (ὃ πρέπει, τὸ πρέπον) [3], nec id quod utile sit (ὃ χρήσιμον ᾖ) [4], nec id quod conducat sive commodum sit (τὸ ὠφέλιμον, τὸ ποιοῦν ἀγαθὸν) [5], nec id omne quod delectet (ὃ ἂν χαίρειν ἡμᾶς

[1] τὰ μὲν οὖν χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδέν μ'ἐθέλει διδάσκειν, οἱ δ'ἐν τῷ ἄστει ἄνθρωποι. Phaedrus, 230 d.

[2] Protag., 347 c. Phaedrus, 259 a.

[3] Hippias major, 290 d.

[4] Hippias major, 295 c.

[5] Hippias major, 296 c.

ποιῇ)[1], quia quarumdam voluptatum plerosque pudeat, nec id quod solum per visum et auditum delectet (τὸ δι᾽ ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδὺ)[2], nisi utrique voluptati per visum auditumve perceptae communis quaedam natura inveniatur, ex qua ambae pulchri participes efficiantur[3]. Adeo ut tantummodo negatum fuisse videatur pulchrum esse hoc vel illud. Attamen ex hac disceptatione quae in Hippia geritur, ad conjiciendum jam pulchrum ex duabus rebus constare (in eumdem modum ac natura hominis duplex est) deducimur, quum pulchrum id ipsum necessario sit quod quamlibet rem pulchram cogat et esse talem et videri[4]. Jam igitur si non naturam ipsam et corpus pulchri tenemus, hujus quasi figura vel forma delineata est.

Ipsam nunc pulchri naturam adumbrare aggrediamur, requirendo quale spectaculum, qualis facies pro specie ipsa pulchri a Socrate et Platone habita sint. Adeamus igitur dialogos illos verisimiliter aetate antecedentes eos in quibus Sophistae lacessuntur, qui Lysis, Charmides inscribuntur, (et in quibus Socratis cum adolescentibus vel etiam pueris colloquia in gymnasiis habita effinguntur), videlicet imaginem referentes concinnorum et acutorum sermonum et disputationum quorum studiosissima fuit Atheniensis juventus. Ibi Socrates nobis depingitur non incuriosus adolescentium formae, aequalium et popularium suorum more, horum tamen dissimilis in eo quod illi formae intentus est et ejus

[1] Hippias major, 297 e.
[2] Hippias major, 298 a.
[3] Hippias major, 300 b.
[4] Hippias major, 294 c d.

amore et voluptate afficitur propter ea quae in pulchro quodam adolescente animi et mentis sunt, videlicet immature lucidum ingenium, verecundiam qualis puellis inesse dicitur, sapientiae cupidinem aut aemulationem aut spem, generosam indolem. Hocce fuisse videtur pulchri ipsius exemplar, scilicet adolescens quidam, aut puer, aut juvenis apud quem speciosa forma, ingenuus corporis habitus et incessus partim innati, partim palaestra parati, mira concordia, modestiae, studio sapientiae, morum sanctitati, prudentiae quasi concinunt, adeo ut illa in omni re praestantia aequales ejus et socios admiratione percellat atque etiam amore quodam quo instincti placere amato et in conspectu ejus laudari cupiant. Et certe apud Platonem fere nusquam non de amore vel amicitia ut affectibus ad pulchrum attinentibus simul ac de pulchro agitur.

Jam in Lysi, in quo sermo de amicitia instituitur, inter argutias hujus disceptationis quae potius carpit quam ad aliquid firmum ubi consistat tendit, odoramur aliquid quod illum divino spiritu instinctum redolet qualem posterius se praebet Plato in Convivio et Phaedro; praesertim in illis locis ubi talia vicissim vaticinatur et ratione probat : « Nonne amicitiam (forsitan somnia fingo, ait) ex pulchro nasci[1], pulchrum quasi petere, pulchrum vero ei qui id petit amicum esse ; nonne bonum pulchrum etiam esse, — et illum qui amat eum esse qui ipse neque bonus neque malus sit, — et illud quod amatur et alicui bonum est non propter se ipsum amari sed propter aliud, et hoc aliud propter aliud insu-

[1] Lysis, 216 c d.

per, donec ad primum bonum vel primum et revera amicum[1] progrediendo perveniamus, cujus gratia omne ceterum quod amatur amemus[2], illius simulacro et imagine quasi decepti? » Jam ibi involutum continetur quasi molliter et leviter adumbratum[3] quidquid de pulchro et amore in Phaedro et Convivio explicabitur et effundetur. In his dialogis quoque pulchrum et amor non separantur. Fabula utens Erota nobis Plato fingit fuisse e Poro et Penia[4] in Veneris natalibus conceptum ac propterea deae sectatorem fuisse et pulchri amatorem ; et ut e duobus maxime dissimilibus natum, duplicem natura esse et praesertim quasi medium inter inscitiam et sapientiam; ex quo philosophus potest dici, id est sapientiae ut pulcherrimae rei amator quum quidem pulchris et bonis rebus insidietur sagax venator[5]; medium quoque esse eum inter deorum naturam et mortalium ita ut sit natura daemonis[6] et quasi internuntii.

Amor ergo philosophus est; id est: Philosophia et amor in idem conveniunt. A fonte Socratico poetica placita illa Platonica scatunt et magno blandimento ingenii erumpunt. In memoriam enim revocemus Socratem, dum tentet meliores reddere colloquentes secum ac simul ipse cum iis se veritatem quaerere profiteatur, illos specie amoris aggredi quos formosa facies extrinsecus lucens sapientes aliquando fore quasi polliceatur. Affectus qui

[1] πρῶτον φίλον.
[2] Lysis, 219 d.
[3] Lysis, 216 c.
[4] Conv., 203 b, 204.
[5] Conv., 203 d.
[6] Conv., 204 b.

pulchritudine excitatur non est pulchri appetitio, sed gignendi in pulchro[1]. Ipse autem generationis in pulchro amor ex immortalitatis desiderio et una sempiterni boni appetitione constituitur[2]. Neque enim nonnisi gignendo, id est renovando se divini immortalitatis muneris homines participes fiunt[3]. Sed posteri illi corpore generati (qua generatione contenti sunt Veneris vulgaris sectatores) nec tantum nec tam secure immortalitatem, memoriam, felicitatem[4] in omne futurum tempus parant quam illi animo progenerati nepotes quales sunt virtutes, scientiae, leges, poemata, per quae superstites fieri Achilles, Codrus, Solon, Homerus, Hesiodus (adde etiam Socratem licet non designatum) maluerunt. Cetera, nec corpus nec animus gignunt nisi delectatione pulchri instincta et quasi diffusa[5].

Amatum non propter se amari sed propter bonum percepimus. Porro res pulchra, pulchra facies aliqua tantummodo pars et quasi gutta pelagi τοῦ καλοῦ[6] est; et amor pulchrae faciei aut rei non sustentatur nisi singulas illas facies vel res quasi praetereat ac per gradus debitos eo ascendat[7] ut nihil aliud nisi amor pulchri ipsius, pulchri per se fiat. Et certe divinum aliquid et ἔνθεον[8] potius in amore existit quam in pulchra re, in amante quam in

1 Conv., 206 e.
2 Conv., 207 a.
3 Conv., 208 a, b.
4 Conv., 208 e ad 209 e.
5 Conv., 206 d.
6 Conv., 210 d.
7 Conv., 211 c.
8 Conv., 180 b.

amato, quum amor universum pulchrum appetat cujus universi pulchra facies tantummodo particula sit, — postea tamen in amato etiam, quum pulchritudinis ejus fluxus [1] qui in amantis corde amorem ingenerat, ibi exuberans, eo unde venit reflectitur ita ut amare hic ipse quoque incipiat.

Ergo amor pulchri eo se extendit ut postremo pulchrum illud appetat quod non imaginatione concipi possit velut possunt vultus quidam aut corpus vel etiam scientia, et a desiderio pulchrae rei liberetur[2], quod totum in se existat, quod nec intereat nec crescat, et quod cetera pulchra (τῶν γιγνομένων) participent, nulla ejus deminutione vel incremento, quod oculo animi tantum inspiciatur (ἀριστῷ τῆς ψυχῆς)[3], et quod nihil aliud sit nisi verum[4]; eo se extendit, dico, hic amor, ut constet ex studio consequendarum perfectissimae virtutis et sapientiae, et hoc ipso naturam divinam et aeternitatem participandi. Contemplari pulchrum idem est ac divina suspicere et ex iis aliquid attingere et in se experiri; quae contemplatio in contemplationem veri, revera existentis, mutatur, animo corporeis vinculis liberato, in eumdem modum ac divinus furor amantium[5] in sapientiam et scientiam vertitur. Dum pulchrum contemplamur, intelligimus animi naturam et vim, quae sint, et quemadmodum ejus nos participes fiamus, et quomodo ea natura animi sit immortalis utpote principium (ἀρχή)[6] unde omnia

[1] Phaedrus, 255 c.
[2] Conv., 211 a ad 212 c.
[3] Resp., VII.
[4] Conv., 212 a.
[5] Phaedrus, 243 b.
[6] Phaedrus, 245 c et seq.

oriantur et moveantur, quo deficiente caelum concideret et natura desisteret moveri. Animadverte simul ut Plato et singulos animos et animum universum quasi confundat (etenim singulare et multiplex esse corporis, non animi est); ita ut ex munere illo animi officium sustinendi universi gerentis et ex communicatione divinae illius et immortalis naturae quam participamus, oriri videatur et concipi possit quasi aliquod « regnum animi sive boni » (ut apud Leibnizium), vel divina Civitas.

3. — Ut Socrates modo quasi deo instinctus modo acutus minuta sedulitate in disputatione nobis monstratur, ita Plato in quibusdam dialogis et saepe ore ipso Socratis vaticinatur, in aliis disceptat, redarguit, argumentatur, sive in his in quibus Socraticam rationem disserendi illustrat, sive in his posterioribus in quibus paulo magis didascalicum colorem assumit. Quantum et quo Plato uno nisu poetici ingenii ascenderit et transiluerit, omne illud emensi sumus et mente complexi sumus et eo usque eum secuti sumus. Sed haec placita modo involuta et pulchris somniis similia, modo poetice explicata et fabulam adhibentia ita ut e mundo fluxarum rerum nos extrahant, nunc quaerendum est, tum quae fundamenta habeant in quibusdam dialogis ad inspiciendas et purgandas opiniones vel ad definiendas virtutes et res humanas attinentibus, tum quam vim probationis ex his posterioribus ducant in quibus Plato jam senex minus poetice tentet simul nihil exponere cujus non rationem afferat, atque etiam accommodare ea quae doceat ad rerum tractationem et talia docere quae geri possint.

Ut sermo vulgaris pulchrum bono socium adjungit in

illo trito verbo « καλοκάγαθος », ita apud Platonem pulchri notioni inest id quod temperat et quasi adjuvat et firmat notionem boni, et impedit quominus bonum intelligatur ut in utile et commodum recidens, suppeditando speciem Utilis et Commodi quorumdam ad celsiorem partem nostri pertinentium, quam intuentes cogamur bonum quaerere in meliore ac meliore[1] neque consistere, et uno verbo urgeamur dialectice progredi.

Vide enim ut Polus, in dialogo qui Gorgias inscribitur, vulgo assentiens cui malum majus est injustitiam pati quam exercere, fateri cogatur turpissimam rem esse injustitiam eoque ipso pessimam[2], et justitiam contra pulcherrimam artium[3]. Pulchro sive bono inest et subjungitur notitia alicujus rei commodae vel utilis, vel potioris. In hoc loco supra allato et in Alcibiade, pulchrum pro medio gradu[4] inter bonum et justum habetur, utpote mentis nostrae oculum advertens in bonum quoddam potius illo quod verborum usus commodo assimulat, in aliquod revera bonum quod ipsum verum est. Nihil pulchrum est quod non et bonum sit, et commodum aliquid, gratum aliquid, utile aliquid contineat sed tale ut animo gratum, utile, commodum sit. Nulla res eadem facie et pulchra et mala potest esse[5], sed ᾗ ἀγαθὸν καλὸν est.

Quid autem pulchro inest ex quo oriatur et excitetur

[1] Protag., 358 b.

[2] Gorg., 477 d.

[3] Gorg., 478 b.

[4] Alc., I, 115 a. ΣΩ. — Ἀλλὰ πάντα τὰ δίκαια καὶ καλά; — ΑΛ. Ναί. — ΣΩ. — Τί δ'αὖ τὰ καλά; πότερον πάντ'ἀγαθὰ...

[5] Gorg., 474 c. οὐκοῦν καὶ κάκιον, εἴπερ αἴσχιον... — Alc., I, 116 a.

ille ascensus quo bonum aliquid illi bono quod ex consuetudine commodum videatur praeoptandum prosequamur? Nonne vides jam in affectu et motu animi illo qui pulchro instigentur inesse exordium ascensus illius, quum pulchrae rei aut faciei amor non consistat ibidem, sed ea conditione tantum vivat et alatur si in amorem universorum pulchrorum corporum, rerum, virtutum vertatur, et denique in amorem pulchri ipsius, id est boni; (quoniam amor nil aliud est nisi immortalitatis et sempiterni boni appetitio.) Adde quod, praeter utilitatem ex qua quoque aliqua res pulchra esse potest, voluptas aesthetica cui praecipue visus et auditus inserviunt est voluptas ex contemplatione[1] (τῷ θεωρεῖσθαι). Et jam etiam contemplationi illi quae utputa per visum id est purissimam « viam fidei » exercetur, intellectus id est ἄριστον τῆς ψυχῆς se immiscet. Ita ut paene idem animi habitus sit, vel pulchritudinem eam quae sub sensus cadit, vel pulchrum illud corporis expers quod cum ipso vero in unum coit[2] intuentis, quum alias pulchri amor nihil aliud nisi aculeus et incitamentum sit ad venandam simul sibi et aliis sapientiam. Et hinc quoque concipi potest inesse pulchro utpote in verum id est celsioris partis animi pabulum se resolventi, id quod progredi cogat cogitationem ultra bonum istud quod tantum utile et commodum foret.

Agnovimus ergo e pluribus naturis concretum esse pulchrum illud quod Plato concipit; scilicet ex utili et

[1] Gorg., 474 d.

[2] Phaedo, 65 d ad 66 b: Ἤδη οὖν πώποτέ τι τῶν τοιούτων (καλὸν καὶ ἀγαθὸν) τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδες...

commodo, ex voluptate contemplationis, ex honesto etiam, denique ex primo illo genere cui pulchro nominari contigit et pro exemplo pulchri haberi, id est ex humano animali (ζώῳ). Etenim quae pulchra sunt, homini pulchra sunt atque ita cum ejus natura congruunt et similitudinem habent; imo formam naturae suae amat homo ex eaque judicat quid pulchrum sit, quid non; his de causis duplex natura pulchrum est, ut homo constat e corpore et animo, — et sicut homo in animo paene totus est, ita summum pulchri in honesto est. — Et his exordiis ex quibus pulchri natura conflatur, adjungenda est etiam animi vis; qui enim pulchri amore percellitur, immortalitatem appetit; neque est immortalitas nisi animi aut naturae divinae. — Haecce ratio secundum Platonem pulchri reddi potest; atque imprimis per placita ejus de amore intueri possumus naturam pulchri; quae placita aliquid Socratici seminis referunt, sed in ubere gleba sati et orti.

Aliud etiam naturae pulchri, secundum Platonem explanatae, inest quod haud facile nec breviter expresserim. In pluribus dialogis saepe occurrit ea opinio vehementer a quodam disputantium expressa, et quasi aspernatio philosophiae morali semper iterum objecta: potentiorem vel validiorem vel majorem [1] sive virum sive civitatem meliorem quoque esse, saltem secundum naturam si non secundum leges quas imbecilliores id est deteriores condiderunt [2], et ex illius secundum naturae legem

[1] Gorg., 483 d ad 484 c, — 488 c. τεκμαίρομαι ἔργοισιν Ἡρακλέος ἐπεὶ ἀπριάτας...

[2] Gorg., 483 a : φύσει μὲν γὰρ πᾶν αἴσχιόν ἐστιν, ὅπερ καὶ κάκιον, τὸ ἀδικεῖσθαι, νόμῳ δὲ τὸ ἀδικεῖν. — Gorg., 483 b. — Rep., 338 c.

melioris (τὸν ἀμείνω, τὸν κρείττω) decreto, ex illius utilitate vere institui quid justum sit, quid non. Eadem vel similis sententia minus acriter in Charmide inducebatur quum Critias ibi virum bonum virtute praeditum definit eum cui bene est, cui bene omnia concedunt. Huic opinioni certe vires addidit in omni tempore vis ipsa verborum, quum semper quicumque vel potentia, vel divitiis, vel nobilitate eminuerint, primum sibi veluti titulos gregis nomina illa « τοὺς ἀγαθοὺς, τοὺς ἀρίστους, bonos, optimates, generosos » tribuerint quibus postea usi sint ad exprimendum quidquid in rebus aut gestis aut moribus vere pulchrum vel bonum foret. Nec mirum quum penes potentiores et validiores jus fuerit, si verba, utputa virtus (quod etiam in Italico « virtû » vim ingenitam recuperavit et pristinum sensum) referant illud obsequium justitiae erga saevitiam, juris erga potentiam. Illorum ἀρίστων, γενναίων, cum Plato natu fuerit, et cum talibus amicitia conjunctus, fieri potest ut nomine Critiae, Calliclis, Thrasymachi, Plato alterum Platonem juvenem adhuc cum Socrate disputantem nobis inducat qualem fuisse eum credibile est ante Socratis exitum, qui morte sapientis commutatus fuisset et quasi inversus ita ut denique intelligeret procul dubio neminem esse meliorem nec feliciorem nec validiorem justo ac sapiente. Vide enim ut his personis supra dictis effigiem nobilium juvenum Atheniensium praebentibus, eorum superbiam referentibus atque orationem ferocem et audacem sine ullo temperamento, ulla cautione aut lenimento quibus sophistae easdem sententias profitentes utebantur, contemptionem etiam philosophiae necnon sophistarum, — ut his, dico, plus quam ullis aliis adversariis tribuat, utque

libertati et procaci animo eorum quasi indulgeat ut si forent juniora animalia integri sanguinis lusu tentantia vires suas « quoad possint abuti ». Quae ab iis objiciuntur vim suam apud Platonem integram habent, nedum consilio minuantur a Platone ut alteram partem defendente. Credas contentionem illam ipsam quae inter Socratem et juvenes illos supra dictos apud Platonem exerceatur, in mente Platonis et intimo ejus agitatam quoque, nondum diremptam fuisse et aliquamdiu in ambiguo stetisse ; adeo ei curae videtur esse ambas sententias pariter, nec semel, illustrare, velut si duo veri vultus forent. Certe nemo philosophus sententiam illam, justum et injustum vanas imagines esse qua libenter hallucinentur infirmi et imbecilli (οἱ φαῦλοι) tanta vi defendit [1], eamdem alias postea depugnaturus.

Porro certum est, quum ambigatur de justo, id est de bono, illo ipso de pulchro etiam ambigi, quum sint conjuncta. Quatenus ergo ex variis hominum sententiis Plato collegit quid putandum sit de pulchro, pulchrum ei primum sese verisimiliter obtulit ut cum opinione potentiae conjunctum, cum virium pondere, cum nobilitatis splendore aut opum, aut etiam cum potentis eloquii virtute (*V. Hippiam*), uno verbo cum formosa aliqua specie, videlicet cum dignitate illa et confidentia quae opes aut imperium, aut aliquam externam praestantiam sequuntur. Pulchrum illud est quod, titulo pulchri secundum naturam [2], honesto opponitur non secus ac jus illius qui plus valet, titulo legis naturae, legibus opponitur. Sed

[1] Excepto tamen Germano Nietzsche qui quidem totus in sententiam Thrasymachi et Calliclis descendit.

[2] τὰ καλὰ φύσει μὲν ἄλλα εἶναι, νόμῳ δὲ ἕτερα. Leg., X, 889 e.

Plato praeterit et despicit eos qui admiratione defixi stupent in opibus aut potentia vel injuste paratis. Ut in philosophia morali jus naturae justo vel honesto subjicit, et ambiguitatem simul verborum quorumdam (κρείττων, βελτίων, ἄριστοι, φαῦλοι) discutit, ita in ea doctrina de pulchro quam e scriptis ejus elicere possumus, vim et superiorem gradum et naturae jus quasi obscurat pulchritudine ea quae legibus et ἐπιτηδεύμασιν inest non aliter ac figuris, coloribus et sonis (etenim pulchrum unum et simplex est [1]).

Sed non verbis tantum et rationibus redarguitur illud secundum naturam pulchrum (in quo satis diu Plato commoratus est ne ignorare incusaretur id quod redargueret, et ut spolia opulentiora triumphum justi et honesti adornarent), sed re viva et eventu et exemplo, id est aliqua re cum natura cognata. Non tantum lex, aut justum, id est forsitan mera cogitatio quaedam, naturae opponitur, sed revera justi morientis imago et memoria et testimonium se profitentis feliciorem esse iis a quibus occiditur, quoties a Platone excitata! Inde pulchrum aliud oritur et in lumen crescit, non illud cum voluptatibus corporis cognatum, sed pulchrum secundum animum. Eadem fere ratione temporibus nostris Renanus in Antechristo conjicit tum primum inventum fuisse et forsitan a Nerone divinatum pulchrum illud paganis inauditum quod muliebri pudicitiae et sanctimoniae inest, et a quo veluti fonte profluxerunt in medio aevo artium incantamenta, quum nudatae virgines relligionis causa feris objectae sint in circo.

[1] Conv., 210 a et seq.

Illud igitur postremum huic pulchro cujus natura a Platone concipitur, tribuendum est quod maxime enitet in vincendo pulchrum istud secundum naturam in quo Plato ita commoratus est ut victoria de eo parum facilis apparuerit.

4. — Ergo apud Platonem vere pulchrum idem ac honestum est, si singula consideres aut leges, aut studia, aut mores, aut gesta, aut personas. At pulchrum ipsum, pulchrum per se cujus singula pulchra tantum imagines sunt, nec sensibus nec vi ea qua imaginem alicujus rei cogitatione amplectimur, sed animo tantum videmus[1]. « Pulchrum et bonum, dicitur apud Phaedonem, unquam oculis vidistine ? » Aliquis forsitan objiciet : Sane ex hac doctrina Pulchri cujusdam quod mente cernatur, intelligendum est in pulchra aliqua re quasi stimulum esse quo incitati adigamur ad contemplandum et amplectendum pulchrum universum, post pulchra corpora quidquid pulchrum secundum animum exstet. Sed pulchrum hoc per se, figurae expers, fons omnis pulchritudinis, nonne ludibrium cogitationis, more dialecticorum, verbis magis quam rebus intentae, videtur esse, nonne aliquid habet nominis vacui pro re vere existente, pro causa et principio rerum vere existentium assumpti ? Quid esse potest pulchrum istud expers figurae ? — Nil aliud, ut nobis videtur, quam bonum aut verum aut id quod revera existit et immutabile et aeternum est, id propter quod omnia cetera amantur et desiderantur[2], illud purum[3]

[1] Phaedo, 65 d.

[2] V. Lysim, loc. citat.

[3] Phaedo, 79 c. τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὄν.

Phaedo, 66 a. αὐτῇ καθ'αὑτὴν εἰλικρινεῖ τῇ διανοίᾳ χρώμενος αὐτὸ καθ'αὑτὸ εἰλικρινὲς ἕκαστον ἐπιχειροίη θηρεύειν τῶν ὄντων.

cum quo, puriore parte nostri ei consimiles et cognati, aeterni fimus, cum quo semper existere cupimus[1]. Cur ergo pulchrum nominatur bonum aut id quod revera existit ? Quia via ad verum et optimum amor est, quia ad ea duce ipso pulchro enitimur. Necnon profecto necesse est quoque ut pulchri natura ex bono et vero constet, et in ea sponte sua se vertat; aliter enim pulchri natura in naturam voluptatis dirimatur et resolvatur eodem modo ac bonum in commodum.

Dum igitur philosophiam moralem et scientiam rerum vere existentium condit, Plato obiter aestheticam quamdam instituit in qua pulchrum bono et vero innititur. Et merito; pulchritudo enim humanum aliquid est, homo autem imprimis intellectus est, idoneus ad disserendum de justo aut de revera existente. Ceterae res, animalia, arbores haud magni facienda sunt. Ut naturam corpoream universam, id est τὸ γενόμενον tantum pro simulacro vere existentis et quasi somnio ducit Plato, ut naturam illam quam legi et arti[2] et ingenii inventis opponunt sophistae eorumque discipuli, refellit, ita et consimili ratione res naturae et Ζῷα parvi aestimat, subjiciens ea humanae naturae eodem modo ac in humana natura corpus animo subjicit. Inde fit ut dialectica sive sermonum de justo et injusto scientia[3] primum gradum scientiarum occupet. Inferiorem locum obtineant hae scientiae quae de natura rerum utputa de coloribus et sonis tractent. Et certe non poterat illustrari in qualem modum pul-

[1] Conviv., 205 a.
[2] Leg., 889 c, 890 d.
[3] Gorg. — Phaedrus, 272 d.

chrum cum animo, cum bono et veritate cognatum esset, nisi gradatim ita penitus naturam pulchri perspiciendo et excutiendo ut pulchritudo corporum appareret veluti pulchri tantum umbra et inanis species juxta universa pulchra, imo juxta pulchrum illud per se ipsum oculo animi solum cognitum. Ut de natura pulchri institueretur discrimen illud, innatum nunc nobis et insitum, inter id quod corporis naturae est et id longe praestans quod animi, oportebat ut dialectico progressu mens illud praeteriret et ad extremum omitteret, hoc apprehenderet. Sed revera, ex eo quod quasi culmen alicujus rei attigimus et in intimam ejus naturam penitus penetravimus, ea quae in dialectico ascensu praeterivimus abolere ut omnino falsa non consilium fuit sed tantum iis subjicere ultra quae progredi non fas est. Ascensus et descensus dialectici cohaerent, nec inferiores gradus solum ea gratia existunt ut ad superiorem nos evehant. Ab illo culmine quasi fonte in singulas res pulchritudo resilit et redundat. Non ibi tantum se contrahit, sed non potest quin inde se quoquoversus diffundat. Qui asserit singula pulchra quasi praenuntia esse pulchri ipsius, non negat illa quoque pulchra esse, et quidem Plato in multis locis venustate rerum vel mythicarum fabularum commoveri videtur, quamquam aesthetica ejus philosophia moralis quaedam vel logice sit. Nec tamen illa cum his confunditur. Nam si amorem et pulchrum cohaerere animadverteris, agnosces pulchri naturam, velut amoris, esse naturam medii cujusdam inter humana et divina, inter τὸ γενόμενον et τὸ ὄντως ὄν et ita totam in progressu dialectico esse (cujus progressus ipse amor stimulus est), nedum eo resorbeatur et se con-

trahat ubi hic progressus desinit, ubi tamen principium omnis illius progressus et ascensus jacet.

Adde quoque quod vix desiit progressus dialecticus, et in descensum se convertit, perpetuam sic mobilitatem ciens ad imaginem universi[1]. Vix pulchro illi extraneo secundum naturam oppositum fuit pulchrum per se ac secundum animum, et ambo componuntur, et illud ab hoc in melius restituitur. Inde oritur pulchrum hoc in habitu et gestu et sermone, etiam in amictu componendo, — pulchri ipsius ac generosi cujusdam animi non simulacrum mendax sed quasi halitus et radiatio, — inde ars illa vel concinnitas naturam antecellens intellectu nitens quam εὐσχημονίας[2] nomine hominis liberalis et otiosi id est philosophi proprium esse Plato asserit[3]. Quod etiam verius dici potest de philosophis his in Platonica civitate principibus factis et apud quos postremum conjungentur et componentur illa nuper contraria, vis et justitia, natura et lex, felicitas et virtus, corporis et animi optimum.

5. — Dum illud quod in pulchro animi est denuntiatur dialectica quadam naturam pulchri ad sapientiam, ad veritatem, ad optimum revocante, — hoc quod ad sensus et corpus attinet non eo ipso ut vana tantum species aboletur, sed consimili ratione dispicitur et resolvitur. Prout sensibus perceptum est, pulchro color, lumen, species, figura, vel etiam sonus inest. At figura ad geometriam

[1] Ti, 36 e, 90 d.

[2] Vel εὐσχημοσύνης.

[3] ἀναβάλλεσθαι δ'οὐκ ἐπισταμένου ἐπιδέξια οὐδὲ γ'ἁρμονίαν λόγων. Theet., 175 e. — Vide etiam Remp., VII.

redit ; et color lumenque videlicet ad scientiam aliquam[1] coloris ipsius per se existentis, utputa albi per se, sublatis rebus singulis in quas color diffunditur. Nec mirum, quum sonorum scientia sit, quam quidem Plato jam conjectura magis contineri quam mathematica nec puram satis esse asserit[2]. En igitur αἰσθητὸν ad aliquid quoddammodo νοητὸν redit : figura ad νοητὸν aliquid secundum aut tertium locum obtinens, colores aut saltem soni[3] ad νοητὸν tertii aut quarti gradus, — ambo infra dialecticam ; ita ut tres prope in scientia gradus admittere possimus his in re gradibus fere respondentes, non aliter ac in amore pulchri.

In Philebo plus de specie hac extranea pulchri, quae colore, figura, sonis constat, quam de illa ejus intima natura agitur. Etenim ibi arithmeticus, geometricus, physicus e dialectico Plato fit quasi jam Pythagorea doctrina aliquantisper redundaret, vel quasi mathematica e logica profluerent. In Republica solum scientia et philosophia (αἰσθητὸν et νοητὸν) συμμετρίως componuntur. In illo autem Dialogo, bonum sub specie felicitatis[4], « ens » sub specie universi plerumque considerantur a Platone quodam sui dissimili et Aristoteli proximo. In illo Dialogo Socrates Protarcho concedit utendum quoque esse his scientiis minus puris sine quibus vita non possit geri, nec « vel via quae domum ducit reperiri »[5], neque ullo

[1] Phil., 51 c d. — Ti, 67 d. — Men., 76 d.
[2] Phil., 62 c.
[3] Phil., ibid. et 66 c.
[4] Phil., 15 d et seq.
[5] Phil., 63 b.

modo eas possidere noxium esse, si diviniores illas quoque possideas, et ordinem ac intervalla inter eas serves, et diviniorem mathematicorum partem colas. Et jam in Protagora Socratico fere dialogo, ratio virtutis et felicitatis simul dicta est arithmetica[1] aut metretica quaedam esse. Verum in Philebo, totus Plato est in numero, in modo, in congruentia (ξυμμετρίᾳ) et proportione; et idem qui in Phaedone[2] nulla alia re ac pulchri ipsius praesentia pulchra esse ea quae sint pulchra, et figuram (σχῆμα), colorem et talia nil afferre nisi caliginem ad explanandam alicujus rei pulchritudinem affirmat, in Philebo voluptatem aestheticam ut magis quam ullam aliam cum numero[3] (e finito et infinito orto), et mensura[4], et modo, et ordine, et harmonia[5], et commensu[6] (ξυμμετρίᾳ) et concinentia (συμφωνίᾳ) junctam ponit; atque etiam neque voluptas ulla alia, neque vita beata (ut ei videtur) sine numero, modo, sapientia, temperantia, sinceritate possunt esse; immo non possunt veriores ac puriores voluptates illae[7] « quae circa pulchros colores, figuras, sonos consistunt ». Ut bonum sub

[1] Protag., 356 c.

[2] Phaedo, 100 d.

[3] Phil., 26 a. Καὶ μὴν εὖ γε χειμῶσι καὶ πνίγεσιν ἐγγενόμενα τὸ μὲν πολὺ λίαν καὶ ἄπειρον ἀφείλετο, τὸ δ'ἔμμετρον καὶ ἅμα σύμμετρον ἀπειργάσατο (ἡ τούτων ὀρθὴ κοινωνία)... Οὐκοῦν ἐκ τούτων ὧραί τε καὶ ὅσα καλὰ πάνθ'ἡμῖν γέγονε, τῶν τ'ἀπείρων καὶ τῶν πέρας ἐχόντων συμμιχθέντων... Καὶ ἄλλα... οἷον μεθ' ὑγιείας κάλλος καὶ ἰσχὺν...

[4] Phil., 61 e.

[5] Phil., 32 d.

[6] Phil., 66 a.

[7] Phil., 51 b.

specie felicitatis, ita pulchrum hic sub specie voluptatis aliquantisper consideratur quum sint quaedam voluptates pulchri quasi pedisequae[1] (ὀπαδοί). Sed et felicitas et voluptates quarum veluti norma est aesthetica voluptas, etiam non a corpore aliena, ad numerum et modum et proportionem et opportunum[2] (καίριον) et apte cadens redeunt, atque eo ipso ad intellectum et veritatem et sapientiam[3].

Immo in hoc dialogo Plato a mathematicis et physica id mutuari videtur unde cogitatione concipiat pulchrum illud per se, non terrestre nec sensibus perceptum, nec in singulis rebus aut corporibus habitans. Ut bonum animi et felicitatem in unum miscere tentat, ita diviniori idearum regno illi vix alludens, commoratur in medio quasi loco inter τὸ γενόμενον et τὸ ὄντως ὄν dum universum (ὅλον) ab Intellectu rectum et ordinatum spectat et agnoscit id iisdem elementis[4] partibusque ac terrestrem et humanam naturam constitutum esse, igni, terra, animo, spiritu et omnibus ceteris, sed amplioribus et pulchrioribus quam his in terris. Et nimirum significat Plato in illo exstare quoque geometricas illas figuras quas corporibus et picturis anteponit[5] utpote pulchras per se, non respectu alicujus rei, et videlicet colores etiam ac sonos quatenus puros et pulchros per se. Nonnisi ea in universo unde omnia quae in terris sunt

[1] Phil., 63 e.
[2] Phil.. 66 a.
[3] μετριότης γὰρ καὶ ξυμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι. Phil., 64 e.
[4] Phil., 30 b.
[5] Phil., 51 c.

proveniunt reponendo veluti naturae foedera aut partes, potuit eis tribuere aliquam pulchritudinem hac superiorem quae conjunctione et mixtura diversarum rerum (ut risus et lacrymarum) voluptatem elicit, aut etiam ea quae corporibus singulis et picturis inest. Terrestria enim illa quae pulchra sunt, sive arte sive natura conflata, fortuita vel callida contrariorum affectuum compagine vel repercussu sensus titillant, nec legem placendi habent nisi in conjectura positam. In universo vel potius caelo, figuras, sonos etiam pulchriores et puriores existere, hoc diffusius in Republica explanatur, quo in opere astronomia et germana ejus secundum Pythagoricam doctrinam musica, superiore parte earum nec ad sensus pertinente, in mathematica ita se contrahunt ut pulchritudo caelestium figurarum et motuum non tam splendentibus caeli laquearibus [1] constare dicatur quam numeris et legibus quibus omnes hi motus et figurae definiantur. Quod superest, in Philebo, ut voluptas a turba ad numerum et normam et intellectum redit, ita pulchrum a singulis rebus et sensu perceptis ad universum et scientiam recedit, quum scientia imprimis universum vel respectu universi res singulares amplectatur. Et certe experimur eo pulchras esse singulas res quod in iis pulchritudo universi repercutitur et reflectitur. Non ea quidem scientia universi unde latius patet prospectus in oceanum pulchritudinis scientia primi gradus est, sed dialecticam vel scientiam boni ac idearum contingit, parte etiam superiore et non in conjectura posita paene cum illa confunditur, videlicet affinitate numerorum, mundi

[1] τῇ περὶ τὸν οὐρανὸν ποικιλίᾳ. Respublica, VII, 529 e, 530 a et seq.

foederum cum justo[1] et justi cum bono, ita ut Plato eumdem qui norit quid justitia sit, rationem quoque circuli et sphaerae divinae tenere significet. Sed tamen in hoc dialogo philosophus noster in media illa regione scientiae universi se tenet, in medio quodam gradu dialectici progressus consistit, et eo ipso ex natura pulchri apprehendit et perspicit illud quod non in bonum se contrahit, pulchri naturam quodammodo prius quam tota in naturam boni[2] aut revera existentis se transferat (ut in Convivio fit), dispicit. Crederes ex hoc dialogo Platonem esse unum ex illis nostri temporis scientia naturae imbutis hominibus qui voluptatibus visus et simulacris singularium rerum ab opifice quodam confectis naturam ipsam rerum anteponunt, et scientiam quam colunt paulo latius extendentes philosophiam attingunt.

In Timaeo tota explicatur scientia illa universi inter dialecticam media atque inter has cognitiones ad res non in universo sed respectu humanae vitae consideratas attinentes, et plerumque rationem artium continentes, — his tanto superior quanto circulus et sphaera divina geometricis praestant. Eam vero Plato ipse fatetur non esse restricte scientiam (sive quod tales res tractet de quibus quid verum sit a Deo tantum accipere possemus[3], — sive quod circa γενέσιν, id est nec stabile nec vere existens, uno verbo circa simulacra tantum revera existentis

[1] Phil., 62 a.

[2] Contra in Philebo : Νῦν δὴ καταπέφευγεν ἡμῖν ἡ τἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν. Phil., 64 e.

[3] Ti., 72 d.

versentur), sed quasi fabulam veri similem[1], vero proximam, non inutile opus et insuper secum afferens voluptatem ἀμεταμέλητον[2] ludi concinni. In hoc dialogo qui mundum nobis demonstrat e lege necessitatis et lege optimi sive intellectu constare, e materia et animo, e causis adjuvantibus[3] sive ministris et e fine quodam proposito sive exemplari, e terrestri et divino, e sempiterno et e γενομένῳ, et e congressu utrorumque[4], — et in quo vicissim illae naturae res quae ad sensus et opinionem pertinent, et verisimilia illa quae conjici possunt ex eo quod cum consilio auctoris ad optimum spectantis congruant, considerantur, — miscentur et alius alio variantur modo progressus, modo descensus dialecticus. Hinc enim quod ad sensus pertinet nonnihil esse putatur sed eo revocatur ut a geometria quadam ducatur, illinc, (vel si omittas saepe obversari legenti optimum illud et pulchrum per se ad quorum imaginem universa creata sint et in quibus stet culmen dialectici progressus), illinc, dico, humani animi eo revocantur ut paene idem ac animus universus sint et ut, (quum nihil aliud quam animi universi ipsae leges et ratiocinatio ipsa ambitus siderum sint), humanus animus quoque pro lege et proposito id habere debeat caeli ordinem praecipue imitari et repraesentare ea mente ut recto motu illo et aeterno utpote alicujus rei se ipsam in se ipsa convertentis excludantur labefactationes a corpore sive a rebus externis natae; porro inde in caelestibus motibus logicum illud « ἡ ταὐτοῦ

[1] Ti., 48 d.
[2] Ti., 59 d.
[3] ξυναίτια. Ti., 46 c.
[4] Ti., 48 a.

φύσις et ἡ θατέρου »[1] quod omnino intellectus est, reperitur, — inde motus et natura animi per motum mundi concipiuntur et illustrantur. Per geometriam quae quasi medium locum tenet, et harum rerum quae sensibus percipi possunt, parva elementa corporum triangulorum compagibus assimulando, rationem reddit, Plato universum quoque, id est caelestia, divina, et animum ipsum ut in effigie simillima monstrat circulis et motu in orbem (περιφερὲς) utendo. At quum rationem geometricarum figurarum cum ratione motuum prope confundat[2] et superiorem geometriae partem cum aetèrnis et perfectis animi universi motibus, eo ipso intelligitur veram figurarum pulchritudinem posse reperiri in eo quod est εὐθύ τι καὶ περιφερὲς, id est in geometricis figuris ut aliquid habitus animi universi et simul principii omnium rerum referentibus. Ita, quum figurarum quoque pulchritudo a pulchritudine universi quasi profluat quod animus humanus quasi refert, comprobatur ratio illa secundum quam Plato intimam pulchri naturam prosequens, a corporibus pulchris ad pulchra studia et virtutes animi, et postremum ad tale pulchrum quod cum illo revera existente et simul animi gaudio veritatem intuentis se confundat ascendit. Hic dialecticus progressus divino amoris instinctu initus compertus est aptus et rectus fuisse. Post impetum poetici spiritus, in Philebo et Timaeo, scientia quaedam singula recensens, in partes rem digerens, minutis rationibus nitens, eadem comprobat quae concitato ingenio placuerant. Post μάντιν, ecce προφάτης,

[1] Ti., 36 c.
[2] Phil., 51 c. εὐθύ τι λέγω καὶ περιφερές.

interpres, verisimilium quamdam summam aedificans quae paene neque omnino tamen cum vaticinio congruunt.

Quum societas corporis et animi in Timaeo tractetur, eo ipso simul de pulchri cognatione cum congruentia et numero et concinentia, sicut in Philebo, agitur. « Omne bonum pulchrum est, pulchrum autem non inconcinnum[1] ». Praecipua concinentia (ξυμμετρία) cum inter animum et corpus sit vel inter tres animi species[2], pulchrum vel ξύμμετρον, ut jam saepe vidimus, hic quoque apparet medium quoddam esse ex quo hinc sanitas, illinc virtus quasi profluant. Neque animus corpore validior et major esse debet nec corpus animo, neque alter alterum contentione et calore consumere et solvere, nec alterum alterum quasi restinguere et hebetem facere; sed oportet ut internus animi motus et externus corporis congruant. Ita integros corporis et mentis[3], in Republica, Plato vult esse civitatis custodes quos informet, et pariter exercitationibus et laboribus corporis ac disciplinarum studio deditos, et uno verbo nec spurios nec claudos[4]. Non tamen id ita intelligendum est velut si corpus et animus rationem eamdem inter se habeant ac utrumque corporis latus. Ξυμμετρία intelligi debet, non aequalitas. Unusquisque suum motum et ordinem habet. Is se ipsum movens intra se ipsum caeli motus refert[5];

[1] οὐκ ἄμετρον, ξύμμετρον. Ti., 87 c.

[2] Ti., 90 e.

[3] Resp., 535 a. εὐειδεστάτους κατὰ δύναμιν. — Resp., 536 b.

[4] Resp., 535 c. — Ti., 87 e.

[5] τῶν δ'αὖ κινήσεων ἡ ἐν ἑαυτῷ ὑφ'ἑαυτοῦ ἀρίστη κίνησις (μάλιστα γὰρ τῇ διανοητικῇ καὶ τῇ τοῦ παντὸς κινήσει ξυγγενής). Ti., 89 a.

illud autem labefactationibus a rebus externis natis obnoxium, imo totum in profluvio illo quo vicissim, ut flumen alimenti partes ejus riget et restituat[1], repletur et expellendo quae trita et perusta sint purgatur, crescit et perit, atque in speculo quasi refert perpetuas mutationes illas et vices oriendi et pereundi quibus terrestria et γενόμενα continentur. Et motus corporis ordinem et numerum non possunt assequi nisi animus in corpore satus motum illum recuperare scierit quo naturam divinam ille participat. Necnon corpus proclive est ad subsequendum e longinquo animi vel universi motum, quum naturalis motus ejus quo reparatur et deperdit (imprimis in integro et sano animali) quasi circulum efficiat aequalitate ablati et affluentis. — Ex eo facile concipi potest in quem modum, inter alias figuras, corporis figura quatenus pulchra est, figuris et motibus geometricis vel caelestibus competat. Ceterum ex eo formosum corpus humanum est quod animum exprimit eique aptum est, quum caput ita contextum et collocatum sit ut primo aspectu quasi profiteatur in se habitare optimam animi partem[2],

[1] Ti., 79 d.

[2] τὰς μὲν δὴ θείας περιόδους δύο οὔσας τὸ τοῦ παντὸς σχῆμα ἀπομιμησάμενοι περιφερές ὂν εἰς σφαιροειδὲς σῶμα ἐνέδησαν. Ti, 44 d.

τὸ δὲ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ'ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῆδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε τοῦτο, ὃ δή φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ'ἄκρῳ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν ὡς ὄντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλὰ οὐράνιον ὀρθότατα λέγοντες· ἐκεῖθεν γὰρ ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφυ, τὸ θεῖον τὴν κεφαλὴν καὶ ῥίζαν ἡμῶν ἀνακρεμαννὺν ὀρθοῖ πᾶν τὸ σῶμα. Ti., 90 a.

quumque nihil aliud ac animi (id est radicis ipsius humani Ζῴου) cum caelo cognatio vultum et corpus erigere videatur; et inter alia corporis instrumenta praecipue notandus est visus, tam pura res, tam pulchra, qui sensus tantum prodest ad contemplationem mundi imo circuitus mentis ipsius in caelo[1], unde orta est philosophia[2] (φιλοσοφίας γένος), qui non animum voluptatibus et doloribus alternis afficit, qui constat ex interno igni cum cognato et simili caelesti igni confluente[3], — quum etiam in oculis maxime conspicua vivida vis animi sit. Item auditus via est per quam musica illa non voluptati inserviens[4] et astronomiae germana consequitur ut animi motus componat.

Ut in Timaeo non de animo et intellectu solum agitur, verum Plato in his rebus commoratur quibus illi veluti ministris sive ξυναιτίοις utuntur, — ita dici potest ibidem quoque commorari in iis quae tractantibus de natura et causa pulchri esse ξυναίτια videri possunt, quae quidem sunt color, numerus, harmonia motus et habitum corporis concinnans[5].

6. — Gradus ergo pulchri (si componamus ea quae Plato quasi instinctus vaticinatur cum iis quae sedato

[1] ἵνα τὰς ἐν οὐρανῷ τοῦ νοῦ κατιδόντες περιόδους χρησαίμεθα ἐπὶ τὰς περιφορὰς τὰς τῆς παρ'ἡμῖν διανοήσεως, ξυγγενεῖς ἐκείναις οὔσας, ἀταράκτοις τεταραγμένας... Ti., 47 b.

[2] Ti., 47 a.

[3] Ti., 45 b.

[4] τῷ μετὰ νοῦ προσχρωμένῳ Μούσαις οὐκ ἐφ'ἡδονὴν ἄλογον καθάπερ νῦν εἶναι δοκεῖ. Ti., 47 d.

[5] Ibid.

animo, rem in partes digerendo, invenit et probat, et in operibus illis magis praeceptivis, plus mathematicis quam poeticis et simul cursus vitae rationem habentibus[1] exponit), sunt : pulchra corpora (neque esse talia possunt nisi pulcher quoque animus sit, quum pulchrum medium quoddam sit inter animi et corporis virtutem et rectitudinem, atque etiam inter terrestria et caelestia), pulchri animi, pulchra faedera mundi vel mathematicorum et physicae, cum pulchritudine universi, divini operis, imo divini Ζῴου se immiscentia, denique pulchritudo exemplaris illius ad similitudinem cujus mundus ab Intellectu formatus est, id est optimi ; quamquam tamen optimum pulcherrimum esse imo pulchrum ipsum ita intelligendum nobis videtur velut si optimum dicatur praecipua et necessaria esse causa pulchri a qua omnis pulchritudo et amor pendeat.

Longe praeteriimus pulchrum istud quod quasi naturale donum hic aut ille sortiatur. Ex Timaeo intelligi potest Platonem, quod attinet ad hominem, tale pulchrum spectare ut naturae humanae, universi generis humani sit potius quam hujus aut illius, et homini modo a divino opifice absoluto infuerit et reparari possit, — uno verbo puram naturam humanam eum intelligere qualis in primordio fuerit, qualis ab eo qui primordia hujus norit restitui possit, puram id est divinitus pulchram (cognovimus enim e nonnullis dialogorum locis[2] multa ac diversa, colorem, figuram, voluptatem, animi naturam, tanto pulchriora, perfectiora, propiora divinae

[1] Phil., 62 b.
[2] Phil., Phaedo.

conditionis esse et simul intellectui cognatiora quanto puriora sint).— Non aliter de disciplina virtutis quum agitur, Plato primum in dubio ponit virtusne vel etiam sapientia doceri possit[1] et simul eam sententiam profert necessariam illam in privatis sive publicis negotiis sapientiam nihil aliud esse posse ac fortuitum et divinum donum[2], — deinde rem expedit probando posse sapientiam, si non doceri, saltem expergefieri interrogationibus, utpote in omni intellectu innatam[3]. Ibi quoque igitur humanam naturam universam spectat, discedens a respectu hujus aut illius.

Et quidem sapientiae genus et pulchri proxima esse cognovimus. Summum pulchrum idem est ac « revera existens » sive veritas, vel bonum. Secundum gradum pulchri tenent animus creatus, caelum, genus deorum, genus hominum qui ita informati sunt ut mundum quasi in brevi tabella referant, utque conjunctum cum animo corpus parvum mundum praebeat in quo omnia ab intellectu instructa intellectui inserviant, utque in hoc ζῴῳ pulchrum oriatur ex concentu animi se ipsum vertentis et caelestis mundi ad corpus quoque illud quod animus regit attinente. Praecipua etiam venustas earum rerum quae sub sensus cadunt, figurae, coloris, sonorum, non potest oriri nisi a tali compage cujusdam corporis ab intellectu ad intellectum aptati. Homini autem in pulchro norma est ex qua discit felix et perfectus esse, quum cupidines, contentiones, taedia vitae, commota

[1] Protag.
[2] Meno, 99 b.
[3] Meno.

bilis[1] aeque pulchritudini ac integrae valetudini corporis vel animi obstent; ergo dum nil mortale curet et immortalibus studiis deditus sit, divinae parti ejus omnia subigendo, immortalitatis particeps quantum humanae naturae licet, fit.

Contra formosam humanae naturae speciem illam, partis et simul brevioris imaginis Ζῷου perfecti et divini, significatur in eodem dialogo hominem posse deteriorem fieri morbo, cupidinibus quarum rerum causa sive in pravo corporis habitu, sive in imperita educatione sedeat[2]. Quo quasi acciri et invocari videtur legumlator ut medicus quidam civitatum. Et quidem cum opere illo quod Respublica inscribitur arcte conjunctum esse Timaeum judicari potest, tum ex ipso hujus exordio, tum ex quadam similitudine illius qui quoddam perfectae civitatis exemplar instituat et ad effectum adducere tentet, cum conditore mundi. Adde quod Plato ibidem, praeter quod suam civitatem in antiquis Athenis revera exstitisse fingit, sed in eo tempore cujus memoria tantum libris Ægypti grandaevi servata fuerit[3]; insuper fabricam humanae naturae refert, nulla alia causa nisi quod suis institutis hanc in priorem sinceritatem et integritatem restituere appetit.

Hoc tamen notandum est in transcursu, quaedam, lumen, colorem, sonos, voluptates, ut vidimus, eo perfectiora esse quo puriora et nulla admixtione adulterata. Contra humana natura, ut e diversis principiis com-

[1] ῥεύματα. Ti., 88 a.
[2] Ti., 86 e.
[3] Ti., 22 b.

pacta, dicitur non posse ad priorem dignitatem reduci, nisi contrariorum morum et naturarum in unum commixtorum temperamento, quasi undique cogendum et contrahendum foret quod diductum in multam singulorum ingeniorum diversitatem fuisset, ad restituendam in integrum naturam humanam. Ita in Republica Plato, quum alioqui pura servari genera hominum velit, tamen custodes civitatis tales debere esse contendit ut utramque indolem mansuetam vel φιλόσοφον et fortem vel animosam in se componant [1] more generosorum canum. Item in Politico artem regiam texturae cuidam assimulat quum in civitate connubiis vincire opus sit moderatum ingenium cum animoso in eumdem modum ac tela subteminis cum stamine implicatione et contexto conficitur[2]. Item in Legibus prae ceteris virtutibus temperantiam et modum extollit et artem in medio quodam consistendi[3], de natura virtutis sicut de quibusdam aliis rebus quasi praecerpens cogitatum aliquid Aristoteli postea imputatum. Et quidem sive ex Timaeo, sive ex Republica, sive ex Legibus, praecipua virtus, sive justitia sive temperantia vocetur, uno verbo perfectissimus hominis vel civitatis status, — musica quaedam est, — et, sicuti soni intervallis dis-

[1] Resp., 375 e, 410 e.
[2] Pol., 282 e, 310 e.
[3] ἀσπαζέσθαι τὸ μέσον. Leg., VII.
(τέχναι) τὸ μέτρον σώζουσαι πάντ' ἀγαθὰ καὶ καλὰ ἀπεργάζονται. Pol., 284 b.
τὸ δ'ἕτερον, ὁπόσα πρὸς τὸ μέτριον καὶ τὸ πρέπον καὶ τὸν καιρὸν καὶ τὸ δέον καὶ πάνθ 'ὁπόσα εἰς τὸ μέσον ἀπῳκίσθη τῶν ἐσχάτων. Pol., 284 e.

tincti, sive in lyra chordae, summa, media, ima concentum servant, — ex diversarum concentu sive partium animi, sive tribuum, sive aetatum[1] conflatur, nec simplex et individuum aliquid est. Atqui contraria componendo, et diversitatem in unum reducendo, eo ipso naturam humanam in civitate unicolorem ex diversa efficit, et versicolores mores[2] excludit.

7. — Prorsus pulchrum pendet et quasi profluit a bono et vero, a revera « existente ». Cum bono et vero in unum paene miscetur. Tantum ab his distinguitur eo quod in illo continetur nec ab illo sejungi potest continuus is animi progressus ad bonum amore promotus; qui amor eo quod appetiit potitus, sapientia fit. At amor ille pulchri qui jam a pulchro isto quod illecebris voluptatum corporis nititur se expedit, — priusquam in pulchro illo per se vel bono conquiescat, — qua imagine pulchri quasi alitur, qua specie pulchri movetur et oblectatur ? Tale pulchrum complectitur, tali pascitur ut id cum intellectu sit (qui nonnisi optimum quaerere potest), — dum iis rebus gaudet quae modum, numerum, concinentiam habentes, ad convertendam vim cogitationis ab iis quae sub sensu cadunt ad contemplationem veritatis ipsius intellectu tantum cognitae valent, aliarum pulchriorum adhuc cogitationem sua specie menti semper injiciendo. Sic laquearia mundi non tantum oculos pulchro spectaculo retinent, sed etiam pulchriores astrorum motus et figuras et numeros menti suggerunt[3], neglecto

[1] Leg., II.
[2] ποικίλα ἤθη καὶ φαῦλα. Leg., IV, 704 d.
[3] Resp., 529 d.

etiam hoc quod in his foederibus aeternum non sit et ad partitiones istas[1] diei et noctis, mensium, temporum, annorum circum quae vita humana versatur attineat. Sic etiam in musica, disciplina illa astronomiae germana, nihil pulchrum est quod non foederum quibus musica fundatur, ut pulchriorum, cogitationem injiciat. Id Platoni curae est docere, naturam pulchri vel felicitatis haud minus ac scientiae vel veritatis naturam, rebus sub sensu cadentibus alienam esse, aut saltem pulchrum rebus quae sensibus percipiuntur non inesse nisi eis ipsis insit aliquid quod assequi cogamur ulterius procedendo et idcirco praetereundo eas; nec etiam pulcherrimam rerum esse ποικίλματα[2] illa quae in caelo sunt et visu id est sensu quodam contemplativo[3] et puro et cogitationi simillimo percipiantur, quum visus quoque aliquid corporei habeat, — et quod visibile sit et sub sensu cadat nihil aliud esse quam opportunum aliquid et quasi igniculum ex quo primum cogitatio (διάνοια), inde intellectus (νόησις) expergefiant, — ad summam Amorem quem in Convivio fingit philosophum esse vel dialecticum, non posse quominus ab iis rebus quae sub sensu cadant ad νοητὰ et νοητοῦ finem[4] id est ad optimum ut pulcherrimum per gradus progrediatur.

Ne consistere nobis placeat in pulchro quodam quod

[1] Resp., 530 a.

[2] Resp., 529 d.

[3] ὃν (ὁ νόμος ὃν τὸ διαλέγεσθαι περαίνει) καὶ ὄντα νοητὸν μιμοῖτ' ἂν ἡ τῆς ὄψεως δύναμις, ἣν ἐλέγομεν πρὸς αὐτὰ ἤδη τὰ ζῷα ἐπιχειρεῖν ἀποβλέπειν καὶ πρὸς αὐτὰ ἄστρα τε καὶ τελευταῖον δὴ πρὸς αὐτὸν τὸν ἥλιον. Resp., 532 a.

[4] Resp., 532 b.

ad sensum tantum pertineat, Plato pulchrum omne ad pulcherrimum revocat et reducit, ad vere pulchrum, imo ad fontem et principium et causam pulchri. In hunc fontem colligit et quasi retro urget ut inde profluat pelagus omne pulchritudinis, universa pulchra sive rerum naturae sive humanae in eumdem modum ac nostrae aetatis physici quidquid in singulis rebus vere existens invenitur in quaedam foedera naturae contrahunt. Æsthetica Platonis modo magistri privatae et politicae virtutis est, cui nihil pulchrum est nisi summum pulchrum, pulchritudo illa boni illius quo cietur divinus Intellectus, quod ad effectum homo, quatenus Deum aemulatur, adducit, — modo physici qui causas et genera repetit, aeternorum foederum studiosior quam effectuum quatenus ii ad vitam humanam et artes pertinent. Ut enim dialecticus, ens purum optimo et purissimo animi contingere Plato studet, ita physicus, id quod commixtum aut quadam oppositione immutatum sit in exordia resolvendo, aut sejungendo, (sive colorem sive sonos) ad puram naturam, id est ad quamdam veritatem et pulchritudinem reducit (mixturae et oppositiones quum aliquid simile sint commutationibus istis et vicibus in tragicis operibus usitatis, et pariter ciendo in unum confusa dolorem et voluptatem, sensus et affectus turbent ac titillent) [1]. Necnon naturae humanae quoque finem proponit ut in puriorem partem sui paene tota secedat.

Hac doctrina ex qua summum pulchrum cum ea re quam intellectus solus percipiat, vel cum ea cui notam suam quasi imposuerit intellectus, et cum bono simul

[1] Phil.

(quando quidem nulla res intelligi potest nisi respectu cujusdam finis qui bonum sit vel optimum) conjunctum sit, illustratum est scitum illud in aesthetica praecipuum scilicet: pulchrum ante omnia humanum aliquid esse, nec alia lege ceteras res postea pulchri participes fieri ac ea secundum quam Ζώῳ sapientiae et veritatis capaci id contigerit, pulchrum humanum aliquid esse, dico, et eo ipso nunquam a naturae humanae fine, id est honesto et bono et veritate, sejunctum. — His magnopere confirmatis, Platoni in posterioribus scriptis, videlicet in Legibus[1], licebit, quodammodo flectenti, ut videtur, sententiam ad consuetudinem verborum, de quadam pulchritudinis specie a justitia sejuncta verba facere, aut pulchritudinem animi quamdam a forma corporis sejunctam moliri; summa doctrinae stat, ut necessarium in aestheticis effatum : pulchrum ut humanum quoddam ab honesto et bono et vero pendere; omnem pulchritudinem cum vi cogitationis et intellectu ab Intellectu universo et exemplari illo quod optimum est profluentibus, conjunctam esse; externae formae amorem nonnisi similitudinem quamdam esse per quam effingatur studium perquirendi non sibi tantum, sed aliis quoque et quasi in medium, sapientiam et bonum.

[1] ουδὲ μὴν πρὸ ἀρετῆς ὁπόταν αὖ προτιμᾷ τις κάλλος.

Leg., 727 d.

τοὺς δικαίους ἀνθρώπους ἂν καὶ τυγχάνωσιν ὄντες αἰσχροὶ τὰ σώματα, κατ᾽αὐτό γε τὸ δικαιότατον ἦθος ταύτῃ παγκάλους.

Leg., 859 d.

πάντ᾽ ἐστὶ καλὰ ὅσα δικαιοσύνης ἔχεται.

Leg., 859 e.

PARS II

ARTES

Brevis repetitio. — 1. Homo et naturae res. — 2. Artes ut oblectamenta otii, et luxuria; litterae. — 3. Imitatio. — 4. Fabulae et mendacium. — 5 Architectura ac hujusmodi artes, et de pulchro quodam quasi ἐν στάσει; Artium verus finis. — 6. Musica vel summa artium et de vere pulchro. — 7. Immota ratio musicae et legum et relligionum. — 8. Interpretatio et disputatio; civitas quae nec crescat nec decrescat. — 9. Transitus a musica ad scientias; pura quaedam ratio pulchri et artium. — 10. Institutio et musica totae se in politicam conferunt.

Brevis repetitio. — Illam Platonis de pulchri doctrinam explanando, jam aliquid Politicae ejusdem delibavimus. Nonne enim amorem pulchri fontem esse honestorum gestorum apud heroas, ingenuos viros, in civitatibus liberis et a barbarie intactis, vidimus? Pulchrum ipsum quoque humanum quiddam esse agnovimus, ab honesto et justo non sejunctum. Simul ac de pulchri natura, necessario de humano animali, id est, civili, praecipue agitur; quae vox « humani » ut nostro aevo mansuetum, aequum, rationale, sonat, tum politicum et legibus temperatum sonabat. — Dehinc eum finem quem sibi proponunt philosophia moralis, Institutio, et Politica, scilicet, legem sive artem et naturam componere, a ratione pul-

chri non diversam esse sensimus; imo eo ipso quod hunc finem petunt, aesthetica et politica (philosophiam moralem et Institutionem involvens) maxime inter se conveniunt. — Postremo etiam Civitatem legibus sive Intellectu temperatam praesumpsimus, quum intelleximus hinc mundum non mole sua tantum stare quantum optimi lege et idea gubernari et sustentari, hinc hominem ex utraque parte perfectum quasi aliquam rempublicam bene moratam esse et quasi brevem mundum. Porro ut hic homo vere decorus et musicus apud quem mens et corpus vel animi partes inter se concinant, vel vera natura humana, comparetur, aut potius restituatur, id ipsum Politico philosopho mandatur.

1. — In tali de pulchro doctrina paene homo tantum, utpote intellectu et sermone praeditus, in civitate implicatus et glomeratus aliquem locum et numerum obtinet; cetera pro aliquo habentur tantum quatenus puriore parte ejus intellectu concipi possunt ut se inserentia foederibus ipsis mundi vel Intellectus universi. In arboribus, rupibus, agris, non est quod nos detinere possit, nec enim cum iis colloqui pote est; atqui ingenuorum virorum conveniens habitus est per sermones sapientiam in humanis rebus privatis vel publicis quaerere. Xerxes narratur quum per Asiam iter faceret bellum Graeciae gesturus, insigni forma platano occurrisse cujus pulchritudine perculsus, eam veluti quamdam effigiem sacram magnificis ornamentis decoravit. Nempe talis affectus, cui nostra tamen aetas consentiret ut amabili, Barbarum redolebat sententia Graecorum illorum qui Deos, vel vim naturae nonnisi humana specie mente concipie-

bant, quibus nil pulchrius humana figura, nil praestantius corpore bene exercitato, vel civitate bene constituta videbatur, et qui Persis barbariam imputabant quod infame ducerent corpus nudare.

Hoc quoque notandum est : Meditabundus et secum cogitans solitudines persequetur, et eo ipso agros naturamque mutam amabit. Verum Socrati vel Platoni philosophari non est solum commentari secum, sed cum aliis colloqui. Λόγος simul ratiocinatio est et vis ipsa veri, et sermo, id est disputatio, id est veri indagatio mutua censura tutior. Quo ad quid magis consentaneum est ut homines utantur quam ad res communes gerendas, quarum negotium et cura jam civitatis vim ipsam continent? Cum civitate commixtum aliquid homo efficit, quum ex Platone partim imaginem verae civitatis ab integro informante, partim secundum rem describente, civitas sit quasi locus singulorum virtutibus patefactus et simul veluti homo unus sit sed amplificatus, eademque magis una fieri possit vinclis et affectibus civium (quibus omnia communia forent[1]) vere fraternis non per similitudinem, sed re.

Nec tamen haec Platonis et aequalium suorum ratio eo tendit ut natura omnino ab iis pro nihilo habeatur ; atqui cum ea quoque fit ut homo, Ζῷον tam congregabile in colloquium veniat dum eam vivis et loquentibus numinibus redundantem esse fingit. Etenim locus aliquis, res, intra quae gens aliqua crevit, ut frequentata videntur esse copia familiarium et salutarium daemonum, nonne ingenio memoria innutrito fabulas suggerunt

[1] Resp., V, 457 d.

quas philosophus interpretans in praecepta vertere possit ?[1] Atque ita forsitan e natura muta, velut e poetis[2] fabulisque eorum disci pote est ea quae ipsa nescit.

E supra dictis jam conjici potest quid Plato de iis artibus et operibus quae voluptatem pulchri gignere profiteantur senserit, et hanc sententiam in eumdem modum ac doctrinam de pulchro philosophiae morali et civili scientiae connexam esse.

2. — Oblectamenta artium ut jucundam quietem vel ludum consideranti primum, Platoni omnibus his rebus potius videtur colloquium, quum eae illitteratis tantum et sermonis inexpertis loco cogitationis et liberalis cujuslibet negotii sint, et deficiens colloquium suppleant. Ita est musicae, tibicinarum, chorearum post obsonia[3]. Etiam disputationem de poetico quodam loco[4] talibus oblectamentis parem facit ut ab iis usurpatam qui non habeant peculiarem et propriam sive vocem sive cogitationem qua in sermone utantur. Agendum esse secundum naturam suam, id est cogitandum et disserendum homini clamant etiam res et genus intellectus expers[5], nec assidendum tantum quasi spectaculo, quod quaedam dormitatio est.

Ergo nempe Litterae et praesertim soluta oratione scripta, ut sermo quidam et viri boni sermo apud Plato-

[1] Vide Phaedrum.

[2] καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλά, ἴσασι δ'οὐδὲν ὧν λέγουσι. Apol., 22 c.

[3] Prot., 346 c.

[4] Vide Prot.

[5] Phaedrus, 258 a.

nem veniam invenient. Non omnino tamen. Non satis naturae congruere hoc sermonis genus Platoni videtur. Serenda sunt semina sapientiae in mentibus non in hortis litterarum[1] Adonidis hortis similibus, quum ille cultus tutior sit et laetior, nec praematurum aliquid habens. Tantum valent scripta et bona quidem veluti praestantior ludus et memoriae adjumenta quae ceterum ante litteras inventas firmior apud homines erat. Inter potiora scripta[2] Plato leges et decreta et rogationes numerat quasi hoc sermonis genus tantum non in publicis negotiis sine causa foret; ex quo jam conjici potest quomodo artes et monumenta[3] a commodo et oblectamento privatorum ad communem utilitatem revocet; neque alia ex ratione Solonem legumlatorem laudi dat vere poetam fuisse[4]. Neque tamen ipsae leges scriptae quae potius monumenta quaedam quam vivum aliquid sunt[5] tantum virtutis habent; et copia legum uti non salutare est[6]. Plus valent status et forma civitatis

[1] Phaedrus, 275 a et seq.

[2] Leg., IX, 858 e. — Phaedrus, 277 d.
ὅστις ἐν πολιτικοῖς λόγοις νόμους ὀνομάζων συγγράμματα ἔγραψεν. Phaedrus, 278 c.

[3] Atqui in Ægypto publica monumenta tantum scriptura quaedam rerum fuerunt.

[4] Ti., 21 c. κατὰ τὴν ποίησιν αὖ τῶν ποιητῶν πάντων ἐλευθεριώτατον.

[5] ἰατρὸν μέλλοντα ἤ καί τινα γυμναστικὸν ἀποδημεῖν... Pol., 295 c.
τῶν δὴ βιασθέντων παρὰ τὰ γεγράμμενα καὶ πάτρια δρᾶν ἕτερα δικαιότερα καὶ ἀμείνω καὶ καλλίω τῶν ἔμπροσθεν. Pol., 296 c.

[6] Νομοθετεῖν δ'αὐτὰ οἶμαι εὔηθες· οὔτε γάρ που γίγνεται οὔτ'ἂν μείνειε λόγῳ τε καὶ γράμμασι νομοθετηθέντα... ἐκ τῆς παιδείας

(quae paucis legibus continentur) vel vis qua primo impulsa civitas movetur et vivit, et disciplina mores civium informans. Politicus potius magistri vel etiam medici[1] partes tenet quam legumlatoris. Civitate et disciplina recte institutis, singula quaeque in vita gerenda e bona cujusque civis indole et institutis manabunt. In Platonica republica hoc sane pro libertate est non multis legibus cives contineri, potius moribus et disciplina, id est voluntate bene instructa, quam legibus ad commune bonum adduci.

Secundo aspectu, illecebrae artium ex Platonis sententia cum sumptu privato vel publico magno conjunctae sunt. Ad fruendas eas divitiis opus est; quae nonnisi abradendo ex alieno, bella gerendo, fana spoliando[2] parantur. Ideo cum luxurianti et turgida civitate, non cum sana et suis finibus contenta congruunt; in qua non magis locus est pictoribus, poetis, saltatoribus[3] quam coquis et medicis. Opificibus supellectilis et muliebrium ornatuum, ciniflonibus, scortis, poetas et artifices exaequare Plato videtur, obsoniis et unguentis tabellas et poemata. Etenim parvam civitatem certis finibus et numero civium terminatam animo percipit nec tam dissimilem revera existentium civitatum in quibus, ut vidimus, professorium munus sophistarum judicabatur ali-

ὅποι ἄν τις ὁρμήσῃ τοιαῦτα καὶ τὰ ἑπόμενα εἶναι, ἢ οὐκ ἀεὶ τὸ ὅμοιον ὂν ὅμοιον παρακαλεῖ. Resp., IV, 425 b.

[1] Pol., 296 b, 293 b.

τέμνοντες ἢ καίοντες ἤ τιν' ἄλλην ἀλγηδόνα προσάπτοντες.

[2] Recordemur quibus ejusmodi facinoribus Dionysius prior opes et pecuniam sibi comparabat, ut sua potentia staret.

[3] Resp., II, 373 a et seq.

quid supervacui prae ceteris artibus habere et modum excedere non magnae reipublicae.

3. — Aggrediamur nunc eam vim qua paene omnium artium ratio necessario nititur : aemulationem naturae. Æmulatorem naturae parvi facit Plato sophistae eum assimulans inanium simulacrorum molitori[1] et de omni re captiose disserenti et ita ut hominem peritum ludat in iis rebus quibus tantum non alienissimus sit. Non aliter imitator vel poeta vel pictor primum nihil quod vere existat condit, sed quasi umbram tantum procudit et imaginem vanam qualem remittunt specula[2] vel lympharum speculum (perparvi momenti effectus prae ceteris rebus naturae). Pictor qui lecti imaginem effingat tertio gradu distare dicitur a vera natura rei quum etiam fabro tignaro vel opifice lecti humilior sit[3]. (Videlicet alterum illum imitatorem et artificem Plato tacite segregat qui per litteras et syllabas τὴν οὐσίαν rerum refert, de quo in Cratylo[4] verba facit et quem legum conditori assimulat).

Praeterea, sicut de sophista dictum est, imitatori simulandum est universarum rerum quas suis imitamentis complectatur se esse peritum. Imperatorem vel medicum et alias personas effingens et loquentes inducens, oportebit ut in hunc vel illum se vertat, et populum saltem falsa imagine hujus vel illius ludat, eam opinionem ei afferendo se non tantum verba et habitum utriusque

[1] γοήτης (Sophista, Phaedrus).

[2] Resp., X, 595 d.

[3] Resp., X, 597 e. τὸν τοῦ τρίτου ἄρα γεννήματος ἀπὸ τῆς φύσεως μιμητὴν καλεῖς.

[4] Cratylus, 431 d.

assecutum esse, sed propriorum utriusque negotiorum peritum quoque esse. Non est is quem videtur, non ei, non ejus operibus inest scientia illa quae inesse videtur. Non aliter histrio aliquis totus se inserens in eos quorum mores exprimit, quasi alienus a se fit; et simul ea quae dicit aut facit naturae veri repugnant.

Hocce insuper imitatores et praecipue poetae prolabuntur. Non sui compos est poeta, sed quae profert effundit quasi instinctus; et quum pro hominibus in diverso statu et variis atque etiam contrariis affectibus commotis ei verba facienda sint, contrarie dicendum erit et diversa de uno[1]. — Imo vis imitandi praeter quod serio cuiquam negotio repugnat[2] et obstat quominus ei totam operam dedamus et homines unius muneris simus, ita se extendere solet ut circa viles mores et humilem statum et sordidas res plerumque jocetur, ut si quis mulierem viro conviciantem, vel parturientem, aut homines pravos ex vino turpia loquentes, aut servos, et omnem vocem vel sonitum strepitumve avium, animalium, trochlearum, quidpiam fabricantium aut agentium, ventorum, grandinis, simulet. Apage hos versipelles ! Porro tali lusu animus turbatur et sibi derogat. In Legibus ergo comicam imitationem[3] huic proximam quae quantum momenti seria habeant quasi docet, sed cui tamen nemo in civitate nimium studium adhibere debebit, demandari vult servis et mercenariis peregrinis sicut ejulatus in funeribus conductis choris Caricam Musam[4] colentibus. Civibus

[1] Leg.. IV, 719 d.
[2] Resp., III, 394 c ad 397 b.
[3] Leg., VII, 816 d.
[4] Leg., VII, 800 e.

satis sit civis munia gerere[1]. Non omne tamen imitandi genus Plato prohibet, sed praeter quod vim imitandi in quamdam virtutum aemulationem vertere intendit, viro moderato in dicendo narrandi genus quod particeps sit imitationis et narrationis simplicis[2] (ἁπλῇ διηγήσις), sed plus hujus, concedit, et vetando eum nonnisi bonorum aut boni aliquid peragentium figuras induere et exprimere, eo ipso legem adumbrat qua poeta vel fabulator teneri debentur, scilicet : viri boni figuram exprimere utendo genere orationis cum viro bono congruente ; quod quidem exemplar plane repraesentant Platonis dialogi quum viri ante omnes sapientis et boni vitam referre se profiteantur fere nunquam utendo imitatione nisi cum narratione mixta. — Ex eodem Reipublicae loco de imitatione quo nitimur , in transcursu intelligi quoque potest quem in modum musica illa quae fere omnes bonas artes comprehendit cum oratione etiam conjuncta sit, quum de illo qui omnia vel deteriora simulando operam impendit, id animadvertatur quod illi numeros et harmonias orationis variare necesse erit congruenter cum variis figuris et moribus quos exprimat ; neque unum tenorem sua oratio quasi non compos sui habebit[3].

4. — Ab imitatione ad ficta et a fictis ad poetarum fabulas transitus facilis est ; quae fabulae de Diis sunt ac de Orco, et deos iisdem affectibus et sceleribus ac homines

[1] Resp., III, 395 c.
[2] Resp., III, 396 d.
[3] Resp., III, 397 b.

laborantes, ac multiplices figuras induentes nobis depingunt falsa imitatione[1] et formidinem mortis augent injustisque spem dant adjutores in scelere deos sibi muneribus parandi, et multa alia mentiuntur, tantum tamen inter se discrepantes quantum poetarum sententiae de vero bono et de justitia. Publica utilitas postulat ut corrigantur, recidantur, in melius ac verius mutentur hujusmodi fabulae fortuito et instinctu quodam potius quam consilio elaboratae. Tantum valent poetae eorumque opera quantum sapiunt et sapientiam docent et bonis disciplinis non occursant. Et quidem fabulas cogens redire ad officium similitudinis et figurae cujusdam per quas accommodatiores bonae civitatis institutis mores civium reddi possint, nihil praecipit Plato cujus non exemplum ipse protulerit, quum poeticis mythis saepe in scriptis usus fuerit vel refectis et concinnatis et quasi detortis, vel plane inventis, in utroque casu antiquitatem redolentibus et ut quaedam a vetere sapientia tradita se ferentibus.

Ut imitationem tractans, Plato normam quam scriptores respicere debeant duci vult ex illo genere imitandi et quasi perfecta imitationis idea quae aemulatio boni sit, ita consentaneum est, mendacia fabularum attingentes, in mendacio illo utili et necessario dicto ac rectoribus civitatis licito, nos commorari, quum quidem Plato hoc vel illud, modo imitationem, modo fabulas ex artium ratione quasi decerpat, postea civili scientiae inserat (cui etiam omnes artes subjicere intendit). —

[1] Resp., II et III.

Quae vero exempla liciti hujus mendacii. Plato nobis praebet ? — Nempe, id in animis civitatis custodum impressisse, patriam terram vere genitricem[1] (ut saepe a poetis relatum est) et magistram quoque eis fuisse omnium rerum quae didicerint, et ita omnes in civitate fratres esse, sed tamen e diversis metallis conflatos porroque non ad eadem munia natos, — vel etiam neminem felicem esse posse nisi bonum. Quae omnia nobis magis similitudinis veridicae cujusdam melius quam rationes in animis debitos affectus impressurae, quam mendacii speciem habent, — nisi forte intelligendum sit nullum loquendi modum quo veluti figura utamur in similitudinem posse verti quin prius ad litteram acceptum fuerit (quae sane sententia alti et acuti ingenii est). Quidquid id est, licitum et non licitum mendacium dissimilia inter se sunt eo, quod hoc sive voluntarium[2] sive non, inscitia vere est et fallacia. Sicut homo ex eo ipso homini inimicus est quod sibi inimicus sit[3], ita mendacium quo alium fallimus nihil aliud est quam posterius subortum simulacrum (ὕστερον γεγονὸς εἴδωλον) quod affectum animi nostri se ipsum fallentis exprimit. Sicuti quadam imperfecta cognitione boni, haud satis necessarie ad bonum peragendum impellimur, ita, ex boni et veri propinquitate, cognitio quaedam imperfecta veri, vel inscitia non sui conscia in aliquo homine, eum potest efficere non veracem ; quo fit ut mendax, non, ut sibi confidit, eum quem fallit hac scientia vincat et exsuperet quam ei intercipiat. Item in

[1] Resp., III, 414 d.

[2] Resp., VII, 535 e ; — II, 382 a. τὸ ὡς ἀληθῶς ψεῦδος.

[3] Leg., I, 626 d.

Gorgia et Phaedro[1] rhetoricam tractans velut artem quamdam speciem justi injusto induendi, Plato, ut ita dicam, cogit rhetoricam in dialecticam vel scientiam justi se vertere, quoniam qui velit justum pro injusto putari, melius suadeat quae velit si justitiam noscat quam si non noscat; et hoc nempe tacite intelligendum est, quum didicerit justum rhetor, non jam fore ut possit consilium ex alia agendi ratione capere.

Porro vere mendacio fabulae poeticae referendae sunt quatenus nil bonum docent, nullam sapientiam gignunt; quarum tantum speciem et poeticum colorem excogitatae a philosophis principibus in civitate factis fabulae retinent. Figuris[2] opus est etiam in philosophia ad effingendum quod aegre mente concipitur; quanto magis ad inserendos popularibus animis debitos affectus sine quibus respublica manere non posset, quum verum suadere tam arduum sit[3]. Atque de hoc tantum agitur, scilicet de corrigendo in melius traditas et exoletas fabulas quasi sponte sua ac fortuito natas, quasdam tamen specie veteris sapientiae conspicuas, aut earum in locum sufficiendo alias et veri propiores et animis salubriores, imo (quum consilio elaboratae fuerint, non caeco quodam instinctu editae) tantum scientiae complectentes quantum absumere possint medii ingenii homines nec

[1] Phaedrus, 272 d.

[2] τὸ εἰκὸς. Ti., 72 e.

[3] Leg., II, 663 e. (Καλὸν μὲν ἡ ἀλήθεια, ὦ ξένε, καὶ μόνιμον, ἔοικε μὴν οὐ ῥᾴδιον εἶναι πείθειν).

συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ τῇ ἀπάτῃ κινδυνεύει ἡμῖν δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων· ἔφαμεν δέ που ἐν φαρμάκου εἴδει πάντα τὰ τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι. Resp., V, 459 e.

ad philosophiam omnino dediti. Aliquid disciplinae et doctrinae huic generi fabularum inforet, sed translatum in eorum sermonem qui simulacra et umbras pro veris putant ab illis qui descendere in coetum eorum non recusaverunt eosque ducere per simulacra boni et justi, ut exemplaria horum antea contemplati. Sicuti inscitia, scientia in proximum transilit, illa mendacio, haec fabula verisimili.

Attende in transitu ut fabula aliquid veteris sapientiae retinere videatur, et aetatis prioris nondum inclinatae, ad quam Plato se advertit, quum fingit in Timaeo suam Civitatem in antiquas Athenas translatam [1], atque ita veram e commenticia factam. Et id in aetatem priorem transferre quod ut futurum in reliquo tempore volvitur animo, vel quod ut veritatis aeternae particeps concipitur, quasi mythicum quodammodo est.

Verum planius mera fallacia induci videtur quum agitur de praescriptis ad connubia attinentibus et de offuciis illis quibus utendo procreatio liberorum nunquam deterioribus obveniet et hi fortunam tantum culpabunt, non magistratus qui sortes scite corruperint [2]. Sed hoc notandum est quaedam apud Platonem lepide dici et cum εἰρωνείᾳ, neque verbis ipsis quibus scripta sint intelligi deberi ; item meminisse necesse est apud eum verum idem ac bonum esse (non bonum aliquid certe ex humili quadam privata et publica utilitate collectum). Sed ante omnia id animadvertendum est, Platonem

[1] Ti., 26 c.

[2] Resp., V, 460 a.

simul atque conditorem (οἰκιστὴν) civitatis cujusdam in mente informatae, philosophum quoque esse primordia communis generis humani vitae perspicientem, ita ut naturam civitatis fere tantum ad ingenitam sinceritatem revocare [1] in animo habuerit. Porro dum in locum arbitrii sortem, in locum sortis vel naturae praescriptum quoddam callidum et providum a magistratu vel legum conditore supponi vult, et insuper simulationem quamdam adhiberi rei sorte non imperio gubernatae (quum praescriptorum impatientissimum aliquid sit vis tam belluina generandi), nonne quod e natura sit omnis legum ordinis quum oriatur, recludit? Id est : per gradus immutare et vertere quod natura est, decipientibus commissuris utendo. Necesse est ut et legum conditor et illae leges quae tamen ut intellectui congruentes pollent, quasi sophistam agant cum ea parte animi quae naturae pecudum aliquid retineat, et mendaciis utantur cum eo quod irrationale animal sit. Quidam ordo rerum vel altera natura consilio instaurata in natura rerum oriri nequit neque in multa saecula fundari nisi in illo denique natura fieri ea videantur quae consilio paucorum fiunt. Necnon cum lege ipsa naturae cujus sortes quasi imago sunt congruere videtur illud procreationis institutum paene tantum optimis permissae. Atqui dolo pro vi uti vult Plato legum conditorem quia dolus cum vi ipsa naturae aliquid simile habeat, et quia is qui dolo vel persuasione inducitur ad efficiendum id quod intelligere non posset quantum bonum sit, sibi videatur libenter agere[2];

[1] Resp., II, 369 e.

[2] Νομοθέτης δὲ οὔ τι καὶ σμικρὸν ὄφελος, εἰ καὶ μὴ τοῦτο ἦ

et in exordiis tantum civitatis vel etiam juvenum institutionis dolo et mendaciis salutaribus utendum esse intendit, videlicet donec navis (ut ita dicam) plenis velis in altum feratur; et quidem quod mendacium vocat saepe tantum pro figura accipi potest.

Necnon inter figuras vel similitudines, vel mythos quibus sua cogitata Plato εἰρωνικῶς simul obumbrat et recludit, memorandum est quoque verba illa duo sensus significantia quorum ambiguitate decipi se simulat (ut videtur), et una nititur veluti vi quadam sermonis (λόγου) dum se tollit ad altas quasdam sententias. Ita mendacium licitum, vel non, tractans, verba ψεύδεσθαι, ψεῦδος, ψευδὲς[1], in duos sensus accipere videtur quum ex iis verbis intelligi possit error et hujus qui se ipsum fallit et illius qui ab aliquo fallitur. Ita etiam quum pulchri amorem[2] illum omni musica excitatum et nutritum ut finem et fastigium ipsius musicae ponit, is amor simul intelligendus est ut pulchri ipsius studium[3] et ut amor pulchrae faciei alicujus cum pulchris animi moribus conjunctae[4]; quae ambiguitas ut magni momenti in

οὕτως ἔχον, ὡς καὶ νῦν αὐτὸ ᾕρηχ'ὁ λόγος ἔχειν (τὸν ἄδικον βίον ἡδέστερον τοῦ δικαίου εἶναι), εἴπερ τι καὶ ἄλλο ἐτόλμησεν ἂν ἐπ'ἀγαθῷ ψεύδεσθαι πρὸς τοὺς νέους, ἔστιν ὅτι τούτου ψεῦδος λυσιτελέστερον ἂν ἐψεύσατό ποτε καὶ δυνάμενον μᾶλλον ποιεῖν μὴ βίᾳ ἀλλ'ἑκόντας πάντα τὰ δίκαια. Leg., II, 663 d.

[1] Resp., II, 382 a.

[2] Resp., III, 403 c. δεῖ δέ που τελευτᾶν τὰ μουσικὰ εἰς τὰ τοῦ καλοῦ ἐρωτικά.

[3] Resp., III, 401 c. εὐθὺς ἐκ παίδων λανθάνῃ (ὥσπερ αὔρα φέρουσα ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν) εἰς ὁμοιότητα τε καὶ φιλίαν καὶ ξυμφωνίαν τῷ καλῷ λόγῳ ἄγουσα.

[4] Resp., III, 402 d.

Platonis doctrina de pulchro notanda est, quum significare videatur ad verbum naturam pulchri humanum aliquid esse. Prorsus haec et talia[1] illius cultoris λόγου sunt qui exactum sermonis et rerum, verborum et cogitatorum consensum probat.

Quod attinet ad fabulas poeticas, si durius eas nobis carpere videtur, quum eaedem nos post multa saecula pulchritudine sua capiant et admiratione afficiant (et quidem multa in Homero laudanda[2] esse Plato fatetur quamquam non omnia), hujusce rei ea ratio habenda est quod eas fabulas pro fabulis nos accipimus, non ut vera docentibus; Graecis autem poeticae illae fabulae et divinae relligiones e quibus ratio et norma vitae ducitur unum et idem erant. Homeri opera imprimis omnes vitae disciplinas continere putabantur et fere pro libris sanctis habebantur. Porro consentaneum est et Platonem et quisquis penetralia purioris de deo doctrinae sive in sacris secretis sive cujusquam philosophicae scholae sectator ingressus fuerit, obnixe iteravisse fabulas atque omnia quae poetae narrant saepius mendacia esse et perniciosa quaedam, et necesse esse, in civitate bene morata, ut emendentur poemata, et cogantur poematum auctores nonnisi vera et bona de Deo, de justo, de felici sentire et proferre; quum hi pro vere sapientibus a populo tum putarentur et paene ex iis tantum vel

[1] Vide etiam quam vim habeant ad aliquam sententiam illustrandam verba consonantia sicuti « παιδιά, παιδεία » (in Legibus) et tot in dialogis nominum interpretationes aliquando altius petitae « νόμος, νοῦς » « ἀειδὲς » « Ἅδης ».

[2] Resp., II, 402 d.

recitantibus, vel in theatrum personas inducentibus populus rationem vitae et doctrinas de diis acciperet. Haud aliter Plato Homerum et praecipue tragicos poetas carpit ac si quis emendare tentaret non poesim tantum, sed opiniones de rebus divinis et simul mores, eaque ad veriorem rationem adducere. Tunc maxime poesis et mythologia non pro lusu tantum haberi poterant, sed conjunctiores quam nunc erant cum vitae ratione. Atqui nullo tempore profecto ab ea possunt disjunctae esse litterae et poesis, nec fas est ; et Platonicae sententiae vis non de rebus aetatis suae tantum valet, sed latius patet et rationi universae et aeternae honestarum artium se inserit.

5. — Superest ut de architectura ceterisque hujuscemodi artibus, et postremo de musica loquamur. Quod est architecturae et artium cum ea connexarum, scilicet picturae, sculpturae, et ceterarum hujusmodi, hinc Plato in suam civitatem vel potius sua castra perpaucos opifices in solis artibus quae ad usum vitae necessario pertineant versantes admittit, illinc (ut qui non sine causa forma dialogi utatur, utpote aliquando secum discors), retexere orationem videtur, quum in figuris et aedificiis et aliis operibus exhibitis ab artificibus qui inventi fuerint apti ad venandam pulchri et decori naturam[1], inesse dicat aliquid ingenuum, liberale, bene moratum quod quasi salubris aura per aures et oculos adveniens jam a teneris animos ad similitudinem et studium pulchri adducat[2]. Sic etiam (atqui ea quae de omni

[1] τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ εὐσχήμονος φύσιν. Resp., III, 401 c.
[2] Resp., III, 401 b.

imperii apparatu, maenibus, portu, navibus, publicis aedificiis memorat, verisimile est ad architecturam quoque et ceteras artes hujusmodi pertinere) modo Pericli ceterisque civitatis rectoribus videlicet εἰρωνικῶς vitio vertit[1] quod sedulo et multo sedulius quidem quam praesentes reipublicae rectores civitati ea quae appeteret paraverint, nec meliores reddiderint cives, imo ingratos in se fecerint, modo illum Periclem sine ulla exceptione laudat quod illam mentis sublimitatem quam magna incepta poscant ingenii acumini adjunxerit[2]. Certe placet Platoni dictum illud poeticum « ut ahenei et ferrei potius quam terreni sint muri »[3]; nec putat, Homerico verbo utens « respublicas e quercu aliqua aut ex rupe fieri potius quam ex moribus qui in civitatibus sint[4] ». Quibus sententiis, ut pulchrum e bono pendere prius statuit, ita neque apparatum regni quidquam esse sine validis civitatis custodibus, neque publica aedificia magnifice exstructa et ornata nisi salubres et integros mores redolentia ac referentia nos admonet. Eadem urbis ac hominis conditio est. Corporis forma alicujus pretii est nonnisi cum animi virtute conjuncta.

In artibus hujuscemodi parum consistit Plato. Atqui architectonica opera cum quibus pictoris et sculptoris opera quasi concinunt, molem suam habent, neque earum ratio ab utilitate publica et communi bono facile detor-

[1] Gorg., 517 b.

[2] Πᾶσαι ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι· τὸ γὰρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ πάντῃ τελεσιουργὸν ἔοικεν ἐντεῦθέν ποθεν εἰσιέναι. Phaedrus, 269 e.

[3] Leg., VI, 778 d.

[4] ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν. Resp., VIII, 544 d.

queretur, quum quoddam civile instrumentum et ornamentum sint et quodam civili consensu fundentur; nec more artium illarum quae voce et verbis volantibus, vel motibus constent, huc illuc verti possent nec inflecti contra bonos mores. — Adde quod ex sententia Platonis, ut videtur, ceteris artibus sermo et musica multo antecellunt ut vivida quaedam vis quae cogitationis, animi, corporis motus moderetur, nec saxa et lignum compingat, verum vivos homines. Praestantius est id quod ad animos recta pertinet, nec tantum stat, sed more viventium motum habet. — Platonis est hoc pulchrum verbum : « simulacra deorum gratissima et potentissima quae domi possidere possimus[1], esse patrem, avum, matrem senectute solutos, quos ubi quis honoribus ornat, gaudet deus ». Contra artes has quae regiae arti morali vel politicae se inserunt et ad orationem et officium agendi et motus recta pertinent, opera illarum aliarum quae quidem Plato cum naturae fetibus in unum redigit, aliquid immoti et muti habent et pro quodam loco et situ sunt, salubri quidem si pulchra sint, intra quem animi aluntur[2].

De his artibus ita loquitur Plato ut si in iis ratio imitandi levis momenti foret. Ratio fere tota hujusmodi operum ex hoc videtur constare quod tanto pulchriora et concinniora fiant quanto saniorem animum exprimant, ut in bene morata civitate nata et ab ingeniis et animis liberalibus et moderatis profecta[3]. Hoc ipso Plato inten-

[1] Leg., XI, 931 a.

[2] Resp., III, 401 b.

[3] Resp., III, 401 a et seq. Similis ratio in eodem loco redditur pul-

dere videtur eam legem esse honestarum et pulchrarum artium, et videlicet non tantum harum de quibus in praesenti agitur, pulchrum consequi, quod pulchrum e numero et harmonia et musico quodam constat, qui numerus et concinnitas sive cum oratione sive cum alio quodam genere agendi conjuncta, non potuerunt quominus a bono animo profecta fuerint. Hoc loco cui alluditur simul natura pulchri memoratur qualem antea explanavimus e Timaeo et Philebo, et norma et finis quam consequantur iis artibus proponitur quae supra incusatae sunt quod totae in imitatione et in mendaciis fabularum versarentur. Et pulchrum illud idem est ac sanum et salubre.

6. — Ergo pulchrum et decorum musicum aliquid est, et jam quidquid in honestis artibus animo salutare est jam totum in musicam se conferre videtur, quae artium omnium politicae et ethicae cognatior est et ipsa in pulchri amorem se confert[1]. Partem eam superiorem musices quam antea attigimus praetereamus. In Republica de musica quoque modo ut peculiari arte agitur, modo de ea cui ceterae artes se inserunt quatenus opera earum numerum et concinnitatem habent; nec aliam ob causam se inserunt quam quia cujuscumque artis opera affectum animi cujusdam et cogitationes quas is secum colloquens pascat, ideoque quasi orationem hujus exprimunt quae quidem suum numerum et tenorem habeat, — et quia ex alia parte, Numerus et harmonia non sunt

chrorum naturae operum animalium plantarumve, quae eo pulchra sunt quod in iis aliquid concinnum insit quo bonam suam quasi indolem exprimant.

[1] Resp., III, 403 c.

nisi quamdam orationem vel affectum mentis sequentes[1]. Musicam autem ut peculiarem artem tractans, (detractis sermonibus et fabulis) sed tamen ad cultum animi pertinentem in eumdem modum ac gymnasticam ad corporis cultum, Plato ex harmoniis (vel modis) duas tantum retinet, ut minime querulas vel molles aut violentas, sed moderatas, unam cum affectu et statu viri fortis pericula oppetentis congruentem, alteram cum viri sapientis mitiore fortuna, docentis, orantis, admonentis[2]; ex instrumentis tantum lyram et citharam ad usum urbanorum, fistulam pastoribus idoneam. Atqui sane ita intelligenda est haec musica non ut aliquid extra communem vitae cursum, sed ut numerus quidam orationem vel gestum et incessum temperans et in quemdam decorum cantum vel seriam saltationem ea vertens.

Reipublicae scriptori tamen haud magni momenti artium opera esse possunt, nisi arcte cum moribus et eximia virtutis arte connexa, — quum puriore parte earum, utputa musicae, philosophus ac custos civitatis quem Plato informet, ad caelestem quamdam mathematicam se extollat quae veluti prooemium est scientiae « vere existentis » et optimi. Et quidem philosophos instituit, non φιληκόους et φιλοθεαμόνας choros omnes concursantes, pulchrorum colorum aut figurarum aut vocum cupidos, pulchri autem per se naturae ignaros. — In Legibus autem homines quasi de medio sumpti fortuna quadam fruentes legibus et institutis forsan

[1] Resp., III, 400 d.
[2] Resp., III, 399 a.

audaci et astuto consilio, vel feliciter in unum congruentibus rebus[1] invectis, sed bonis, ita componendi sunt per ludum se in gratam disciplinam vertentem ut, cum iisdem institutis quibus fundata sit, civitas durare possit. Etenim quum a voluptate et dolore ut a duobus fontibus[2] quidquid ad mores attineat proficiscatur, ex illis omnis disciplina pendet, et circa utrumque temperandum et regendum ita ut voluptas cum eo quod bonum esse judicetur conjuncta sit, leges seu puerorum institutio versantur; atqui recta et liberalis institutio non est nisi per ludum, ut si puer ludendo praedisceret cum parvis instrumentis ea gerere et amare quae sibi viro facto perfectissime et serio gerenda erunt in quovis munere[3]. Ad ludum (παιδιὰν) igitur et simul ad educationem (παιδείαν) qua ante omnia non minus ex Legibus quam e Republica, mores et civitas stant, musicam et choream Plato reducit; quo ludo in diebus diis festis locum habente hominibus redintegratur recta voluptatis et doloris[4] ratio qua pueri imbuti sunt, ita ut non aliud ament, aliud laudent[5]. Natura ludunt cetera animalia, id est, praecipue in juvenili aetate non quiescere possunt sed saliendo et vociferando gaudium et vires effundunt; homo autem ludum et gaudium numero et ordine concinnat et in disciplinam quamdam vertit. Inde musica et choreae.

7. — Porro non ex voluptate tantum pulchra erit[6]

[1] Leg., IV, 709 a.
[2] Leg., 636 d.
[3] Leg., 643 e.
[4] Leg., II, 653 c.
[5] Leg., II, 655 e.
[6] Leg., II, 667 d.

musica vel saltatio, sed ex eo quod imitatur vel exprimit vel quasi praecerpit dicta aut gesta moderati et fortis viri. Atqui sicuti numerum et harmoniam nonnisi orationem et gestum sequentes Plato patitur, et contra genus orationis pedestris, necnon expertia lyrae poemata[1] haud magni facit et potius suspecta habet, ita incusat poetas quod omnia inter se repugnantia miscere[2], colorem modosque feminarum vel servorum cum verbis virorum, aut numeros gestumque ingenuorum cum numeris et oratione admodum diversis accommodare soleant, et quod etiam numerum et gestum (σχήματα) a modis divellant, modos rursus et numerum a verbis, tibias et fides a cantu et saltatione. Adeo musicam quamdam cogitat rationi vivendi et agendi se infundentem!

Etenim eam rationi vivendi se infundere necesse est ideo ut legibus civitatis quisque, non vi coercitus, sed sponte sua et libens obtemperet. Atqui eo inter se conveniunt et musica et leges quod diversa cantus genera quae nec miscere nec mutare olim fas esset, νόμοι (κιθαρῳδικοί) vocabantur[3], et quod cuique civili legi Plato praescribi vult veluti prooemium ad persuadendos animos accommodatum. En igitur utilibus fabularum mendaciis de quibus in Republica dictum est, ad inserendos animis praecipue juvenum debitos affectus adjiciuntur cantus (ᾠδαί) quae vere cantiones (ἐπῳδαί) sunt.

In musicam igitur incidimus quae non circa fictas quasdam fabulas versatur, verum ludis, orationibus homi-

[1] τοῖς μὲν μετὰ μέτρων, τοῖς δ'ἄνευ ῥυθμῶν τμημάτων. Leg., VII, 810 b.

[2] Leg., II, 669 c.

[3] Leg., III, 700 c.

num in civitate, ordinem, numerum et concinnitatem affert, omnes artes in se contrahens, vel etiam sculpturam et picturam (quum vivas figuras effingat), et architecturam (si modo urbs viris potius quam muris constet), et quae ipsa fit quasi prooemium civilis et privatae virtutis. Quae quum ita sint, ludorum genus vel musica, seu noventur, seu immota maneant[1], maximam vim habebunt ad civitatis leges seu labefaciendas, seu firmandas. Atqui Plato ut felicissimam fovet illam civitatem cujus leges per tam longum tempus immotae fuerint, ut nemo meminerit neque audierit alias leges unquam fuisse, neque videlicet quomodo illae olim institutae fuerint. Laudibus effert ergo Ægyptios quod apud eos non liceret figuras effingere neque modis uti nisi iisdem quae jam multis saeculis antea praescripta fuissent ut natura pulchra et vere recta[2], et uno verbo qualia non exsuperari possent; quum persuasum habeat novarum rerum studium nonnisi a nimio voluptatis amore oriri. Inde genus poetarum[3] insectatur quod verae naturae musicae obliti et rationem voluptatis tantum sectati populo morem gerere[4] et blanda Musa uti suerint, nedum viri boni musicae periti, vel judicis cujusdam instituti suffragium petant, contra feminarum et adolescentium qui titillari et concuti et turbari ament, imo humiliorum assensu nitentes; unde orta foret theatrocratia[5], id est, sive in musica sive in republica effera

[1] Leg., VII, 732 a.

[2] Leg., II, 656 e.

[3] γένος οὐ πᾶν ἱκανὸν γιγνώσκειν σφόδρα τά τε ἀγαθὰ καὶ μή. Leg., VII, 801 b.

[4] Leg., VII, 802 c.

[5] θεατροκρατία. Leg., III, 700 e et seq.

quaedam et universa impudentia vel audacia eorum qui melioris opinionem non jam vereantur. Igitur ita civitatem instituit ut tragicis chorum dari non fas sit nisi eorum cantus a magistratibus probati fuerint ut consentanei cantibus in civitate usitatis et laudatis [1].

Civibus autem esse poetis licebit, quinquaginta annos natis (quâ aetate non jam eos deceret in festis choris canentium et saltantium videri), nec poetis datum erit publica praeconia vel poemata quae in urbe recitaturi sint componere, aut liberis Musis uti, nisi a magistratu educationi praefecto electi sint ut qui insigne aliquid patraverint [2] aut virtute praestiterint, vel etiam si opera eorum minus dulcia forent (μὴ μουσικά) : quum videlicet summum musicae virtus privata et civilis sit, et ex hac pendeat quid musicum, quid pulchrum sit.

Simul ac de musicae generibus quae quidem solemnibus politicis et sacris subjungit, Plato statuit, hinc quoque honores diis habendos esse, illinc quid de Deo sentiendum sit, decernit. Patrocinia etiam illa quibus diversa numina diversa hominum negotia, artificia, ludos, fortunas, aetates foveant in ordine quodam fere necessario collocat, mythica ad quamdam veram et philosophicam rationem reducens. Et super instituto numinum cultu non minus ac de musicae legibus, impensam libidinem novandi, dissentiendi a ceteris pro sua parte, ac suae privatae opinioni indulgendi refrenare intendit, carpens feminas, somniantes, aegrotantes quod sacra vel in aedibus habere velint, diis, geniis, deorumque filiis

[1] Leg., VII, 818 d.
[2] Leg., VIII, 829 d.

sacrificia voveant, domos, vicos, locos seu puros seu non aris impleant[1].

8. — Superest ut perpendamus simul et interpretemur Platonis illa de musica instituta et praecipue immotam illam artium rationem qua ex ejus sententia diuturnitas ceterorum civitatis institutorum niteretur : quae quidem aliquid paene portentosi habere, et praeter opinionem recentis praecipue aetatis esse videntur. Nec jure. Ut pulchri naturam, ita musicae rationem perspexit et exploravit, et quidquid in aestheticis certum et fixum est Platonica jam doctrina continetur et a Platone perspicuum factum est. Quae vero perspicua facta sint, vel instituta illa de quibus inter omnes conveniat, consuetudine accidit ut simul probentur et taceantur, — mox ut ab eis diversa de iisdem rebus instituta ac minus ad imam naturam rei quam ad causas adjuvantes pertinentia conjecturaque contenta in lucem proferantur, locum verorum institutorum (quamquam ab eis sejuncta mancum et claudum aliquid sunt), occupent, — illa autem inter portentosa et inaudita rejiciantur. Atqui verius quam quisquam naturam et vim musicae sive honestarum artium expressit is qui eas reipublicae subjunxit. Nec quidquam insolitum vel mirificum sed potius obliteratum nunc et omissum edidit is qui musicam morum disciplinae quae simul ludus foret assimulans, maluit ingenita et in animos leniter instillata virtute cives publico bono libenter inservire quam legibus coerceri. Quaedam quidem horum Platonis placitorum ad aetatem ejus praecipue pertinent

[1] Leg., X, 909 d.

et nonnisi respectu aetatis ejus intelligi possunt; sed in summa in posteram nostram quoque aetatem vaticinatur, quum quod aeternum sit complectatur.

Primum certe nulli alii licuisset tam acerba poetis objecisse, nec sane ei licuisset qui neque poesim ipse attigisset, neque vim et colorem poeticum generi scribendi multum a poesi diverso, adhibuisset, neque, ut Plato fuisse videtur, musicae amantissimus fuisset. Non aliter ei magis quam cuiquam alii par fuit subjungere legibus ac justitiae id quod naturae sit scilicet vim ac opes, et hanc sententiam proferre, justitiam aliud esse ac quiddam ab infirmis excogitatum et a parum fortibus qui timore tantum injuriae subeundae justitiam amplectantur; — quum ipse natu et amicitiis optimatum esset, Critiae cognatus, aliquamdiu Dionysio ac filio ejus familiaris, rem habens. Haec munera, poeticum ingenium, opes, nobilitatem, potentiam, qui praegustavit, quum aliquid majus et melius his cogitaverit, id non temere, sed utrisque comparatis praepollere profitetur; secundum dialecticae rationem ad culmen boni per debitos gradus, nec omissis et illibatis quasi mediis bonis se sustulit contraria continuo progressu componens; (quae contraria ex ipsa natura refutatoria dialogi eminent, saepe pro juniore quodam et animosiore Platone partes adversus Socratem agente vel Glaucone vel alio disputante).

Jure apud Platonem legumlator se profitetur verioris et pulchrioris tragaediae cogitationem[1] agere, nec ferre posse tragicos poetas contraria institutis dicentes. Atqui

[1] ὦ ἄριστοι τῶν ξένων, ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης. Leg., VII, 817 b.

ut ex arte vivendi omnes ceterae pendent eique inservire debent, ita majoris momenti sunt res verae et quasi vivae quam fictae fabulae ; imitatio per se ipsam inanis lusus est; intellectu creare id quod per se vivat, id est civitatem, ac melius fiat, exemplar divinum optimi intuendo, praestantioris opificis est. Atqui etiam natura rerum quae quoque ex comparatione civitatis dehinc ut ab Intellectu rectore aedificata ac gubernata[1] concipitur, simulacris sui potior est; quibus effatis nulla aesthetica non assentitur vel tacito, ut compertis et perspicuis.

Sane mirificum potest videri nostrae aetatis hominibus qui tam facile, ut sibi videntur, affectus quo imbuti fuerint dum poemata in theatro spectarent, tum deponant quum seria negotia eis gerenda sint, — quod tantum valere ad docendum sive bonum sive malum omne genus musicae Plato ratus fuerit. Atqui aetate nostra tum musica et ceterarum artium oblectamenta non adiri possunt ab omnibus, tum forsitan post longum tractum

[1] (γεγεννηκέναι τὸν τε οὐρανὸν ὅλον και πάντα...) οὐ διὰ νοῦν, φασὶν, οὐδὲ διά τινα θεὸν οὐδὲ διὰ τέχνην ἀλλὰ ὅ λέγομεν φύσει καὶ τύχῃ · τέχνην δὲ ὕστερον ἐκ τούτων ὑστέραν γενομένην, αὐτὴν θνητὴν ἐκ θνητῶν, ὕστερα γεγεννηκέναι παιδιάς τινας ἀληθείας οὐ σφόδρα μετεχούσας ἀλλὰ εἴδωλ᾽ἄττα ξυγγενῆ ἑαυτῶν, οἷ 'ἡ γραφικὴ γεννᾷ καὶ μουσικὴ καὶ ὅσαι ταύταις εἰσὶ συνέριθοι τέχναι· αἵ δέ τι καὶ σπουδαῖον ἄρα γεννῶσι τῶν τεχνῶν, εἶναι ταύτας, ὁπόσαι τῇ φύσει ἐκοίνωσαν τὴν αὑτῶν δύναμιν, οἷον αὖ ἰατρικὴ, και γεωργικὴ καὶ γυμναστική. καὶ δὴ καὶ τὴν πολιτικὴν σμικρόν τι μέρος εἶναί φασι κοινωνοῦν φύσει, τέχνῃ δὲ τὸ πολύ · οὕτω δὲ καὶ τὴν νομοθεσίαν πᾶσαν, οὐ φύσει, τέχνῃ δέ · ἧς οὐκ ἀληθεῖς εἶναι τὰς θέσεις. Leg., 889 c.

νόμῳ αὐτῷ βοηθῆσαι καὶ τέχνῃ, ὡς ἐστὸν φύσει, ἢ φύσεως οὐχ ἧττον, εἴπερ νοῦ γέ ἐστι γεννήματα. Leg., 890 d.

temporum eo perventum est ut aliquo solido absque jam musicae ope mores niterentur; quod solidum exstruere Plato plane intendit, et inchoando promeruit. Ponamus porro (sicuti supra de fabulis mythologicis dictum est) Platonem cum hominibus puerorum similibus (si modo nos jure possimus pro adultis haberi) rem habuisse, cum hominibus qui fabulas pro re vera acciperent, pronis ad efficiendum quidquid vidissent, aut animo concepissent, vel eis injectum fuisset. Et quid magis proni ad repraesentandum gestis fuissent quam sermones, quam numeros, modos et figuras (σχήματα) quae non possunt quin sermonem quemdam et gestum et affectum et quoddam cogitatum exprimant. Sed simul nos quoque admonet Plato quae sit vera musicae natura, in eum locum nos detrudendo ut nobis aestimandum sit utrum musicam malimus tantum rem subsecivam et desidiosis quibuspiam oblectamentum esse, an rem magni momenti et plurimum ad mores privatos et publicos pertinentem sicut nostra aetate etiam Russovius[1] ac Tolstoyus[2] professi sunt. Atqui si Platonis aetate, moribus (quod poetarum praeceptis inniterentur), periculum inferri poterat a male temperata musica, nostra autem musica, quum nonnisi per longum deverticulum ad politicam ac moralem artem et ad publicum bonum se referat, saepe paulum abest quin oblita sit communis illius honestarum artium finis, a quo sejuncta lusus tantum inanis sit. Necnon simul salutariter nos meminisse Plato cogit, necesse esse ut animus viri boni non sit multiplex et

[1] Lettre sur les spectacles.

[2] Sonate à Kreuzer.

turbae similis, sed simplex et unus, quum hoc significet non modo (sicuti in Republica) civem, id est vere virum, totum debere esse in munere civili (ex sensu paene communiter illa aetate vigenti) in eumdem modum ac in civitate omnia, leges, artes, musica, cultus in unum conveniant, sed etiam hunc ejus animi statum significet qui eadem amet et laudet nec secum discors sit.

Sed hoc sane multo magis mirificum hominibus nostrae aetatis videbitur quod Plato rationem musicae rectae et artium bene temperatarum posse et debere immotam stare censuerit, ut eo ipso respublica et leges quoque a novitatum studio defendantur. Nam nostra aetas tum de musica et artibus in hac sententia est : eas non vivere et vigere posse nisi perpetuo renoventur, imo e studio novitatum omne earum incrementum pendere, — tum raro eidem placet tam perfectum reipublicae statum quo non melior concipi queat inveniri posse, ita ut ea potius mobilitatis cujusdam et indagationis melioris ac melioris quam perennis stationis fautrix sit. Sed si attendimus ad rem, fatendum est non in minorem difficultatem incurrere sententiam recentiorum qui una continuum artium et humanarum rerum progressum ad optimum fieri ponant, et fore ut terminus hic (optimum) e quo omnis progressus pendeat unquam postremo in tempore praestetur negent, — quam antiquorum sententiam ex qua id periculum tantum sit ne fiat ex optimo illo statu, quem adipisci pote sit, descensus.

Porro ad Platonis sententiam si redeamus, intelligemus eam tum reliqua ejus doctrina firmari, tum consentaneam esse cum tempestate illa in qua Plato vixerit, tum etiam, sicut alias illius sententias supra exploratas,

aliquid in omne tempus verum continere, ut exspectari possit a philosopho ad id quod in quaque re aeternum sit se vertente.

Huic tempestati in qua Plato vixit proximus est novus rerum ordo. Porro praecipue Athenis, qui sapiunt una perfectum illud reipublicae genus quod civitas est et in Graecia effloruit, ut solum et optimum amplectuntur, et, vanum ac noxium quodcumque civitatis cujusquam incrementum putantes quum ei ad summum opum perductae in tanto deterius necessario labendum fuerit, hoc ipso (non sine quadam grata pristini decoris memoria) eum summum opum et artium florem vigentem incusant ut intemperantiam quamdam et mortiferum tumorem corporis supra modum et extra fines natura addictos turgescentis. Et quidem Platonem diximus Periclem illum incrementi civitatis fautorem et cum Phidia etiam criminis dissipationis participem modo laudibus extollere, modo vituperare, ad summam tamen pluris ducere quam sequentes duces civitatis; et non ita longo tractu temporis continentur et humilis iste Atheniensium habitus vitam in pusillis et minutis archonte Eubulo degentium, et suprema illa expergefactio, Demosthene auctore, urbis quae olim Graeciae caput fuerat. His temporibus, in Athenis demissis, Plato suam nec augescentem nec decrescentem civitatem fovebat, quae assimulari haud immerito collegio cuidam posset. — Atqui tunc Syracusis, in Thessalia, et multo felicius in Macedonia quosdam tyrannos aliud et prolatius quam civitas esset reipublicae genus instaurare tentavisse sane pervulgatum erat. Sed a monarchiae ratione, etiam in Legibus, id tantum Plato mutuatur quod

bona instituta illa quae proponat (aut similia) ut per se, semel invecta, mansura, sperat posse importari ab uno ingenuo viro qui summam in republica potestatem haberet et cum sapienti legum conditore quodam consentiret. Nec Ægyptum quoque ignorat, grande corpus multum civitatis dissimile, imo laudat. Nihilominus rempublicam aliquam nonnisi sub specie urbis cujusdam cum suo suburbio concipit, neque agrum suum in latas provincias continuantis, sed more apum examinantis. Id vero ignorare videtur, nec quidem novisse poterat, civitates et imperia tanto magis durare quanto majora et latiora sint, dum in hoc culmen quod adepta sint per debitos gradus evecta fuerint et increverint, et dum ille modus et illa forma reipublicae quam repraesentent, in anteacto cursu humanarum rerum, continuo et lento incremento, meliora melioribus contexendo e parvo initio ipsa etiam se sustulerint. Ergo stabilitatem et diuturnitatem suae civitati se comparare confidit operam dando ne plures ex una fiat, finem et modos suos et numerum quemdam excedendo. Prorsus civitatem illam, veluti quoddam animal intellectu praeditum, sui quasi consciam eo quod quisque civium ceterorum quemque noverit, familiares habeat et cum ipsis saepissime de publico bono colloqui possit, — magis unam et secum consentientem eoque stabiliorem reddere aggreditur modo communitate parentum et liberorum atque una vinculo vere fraterno inter cives instituto, modo, in Legibus, conviviis et ludis communiter actis, partim etiam eam civitatem ab aliis populis segregando et a novitatibus defendendo. Adde quoque (ut antea dictum est) quod, ex sententia Platonis, nec intra fines illos et modum et numerum certum quemdam con-

tineri urbs poterit, nec una manere, si praeter necessaria pauca officia et artes, summa civium in plurium artificiorum redundantium opera dispertietur et dispergetur.

Atqui forsitan, non tantum respectu rerum aetatis in qua Plato vixit, reipublicae species haec recta haberi debet; ita ut aliquid ex ea vel nostra aetas haurire possit; quum quidem recentes respublicae saepe languore extremorum artuum (toto spiritu et sanguine in medium recedente et redundante), laborent, et cum sua ratione commoda ea quae e natura antiquae civitatis sint componere non satis evaluerint. Recta in aeternum reipublicae ratio in civitate manet, civitate repraesentatur ut vim et vitam trahente e consensu hominum de communi bono ipsorum colloquentium, atque ita pro lege et rege habente, sicuti ipsa philosophandi ratio Platonica adstricte cum Politica conjuncta, sermonem, λόγον [1]. — Cum talibus de politica placitis vide ut conveniant ea quae Plato de artibus et praecipue de scriptis et litteratura senserit, de litteratura, dico, ut vivam memoriam mentis hebetante, ut in locum sermonis hominum inter se viva voce disserentium quamdam orationem quasi mortuam et inermem inducente. Videtur Plato vim agendi animi se ipsam sustinentem, se ipsam pascentem, integram, solutam velle tueri et puram ab omnibus istis adminiculis ex artibus vel e quibuslibet mediis petitis, intra quae potius consenescit. Etiam leges, adminicula

[1] Nec mirum in civitate quae sermone quasi conflata sit et per sermones quasi sui conscia facta fuerit, si a numeris vel sermonibus non honestis cavendum sit.

illa civitatis et morum, non per se valere concedit, sed tantum quatenus e consilio quodam summam institutorum complectente ducuntur ac pendent; et sane mutandae erunt ubi jam non cum hoc consilio convenient. Ἀγράφοις legibus scriptas leges et totam civitatem niti vult, ita ut ejus civitas praeter quod illustrat et repraesentat quaedam maxime conspicua politicae scientiae instituta, cum omni aetate conveniat, aeternum aliquid et in omnem tractum peracti et futuri temporis verum retinens scilicet purum exemplar rectae reipublicae, quum ea inter virtutem et perfectionem privatorum cum felicitate conjunctam, quo proposito non dignius civitate exstat et sine quibus nulla urbs stare possit, — et universae civitatis virtutem alienae ab injuria, apud ceteras in honore, neque detrimento aliarum intumescentis, consistat.

9. — Cum natura civitatis quae nec augescat nec decrescat, simplex et una semper, eoque ipso stabilis fiat, connexa est ratio illa musicae immota et semper eadem : Immota videlicet et semper eadem est quatenus musica ethica quaedam est et recta ratio ejus (ὀρθότης) non e voluptate ducitur. Nonne enim vidimus Platonem puriore tantum hac parte artium vel scientiarum quae cum scientia rerum aeternarum cognata sit niti, dum se tollat ad contemplationem ejus quod revera existat et optimum sit? Vide ut in astronomia musicae germana τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ποικίλματα [1] parvi faciat, figuris ea assimulans quibus aliquis geometriae peritus veluti exemplo

[1] Resp., VII, 529 d.

uteretur ad quamdam mathematicorum veritatem percipiendam, imo etiam quod in ea tantum ad noctes et dies et annos et tempora anni et uno verbo ad vitam humanam pertineat, parvi aestimet; atque ut ποικίλσεις illas quae intellectu tantum percipi possint et numerorum διανομὰς[1] velit menti civium semper obversari et occursare et in curiarum ordine ac numero, et in ratione nummorum, mensurarum, ponderum a legibus instituta et ceteris rebus hujuscemodi. Recordemur ut Leonardus de Vincio, meditando quemadmodum luminibus bene temperatis aliquam picturam collustraret ad similitudinem rerum ipsarum, et quemadmodum lumina effingeret quae a fonte quodam luminis in quavis parte et certo spatio collocato profluere viderentur, — deductus sit ad exquirendum quonam modo computari possit quanto spatio fons ille luminis sol a terrestribus distet; — aut etiam dum in pontibus vel aggeribus exstruendis occupatus esset, hocce deprehenderit : fluviorum undas talem cursum tenere ut flumen modo dextram modo sinistram ripam feriat. Ex hoc exemplo ducto ab artifice quodam circa imitationem rerum versante et ad scientiam rerum ipsarum se extollente, potest concipi quomodo Plato musicam et ceteras artes quarum superiorem tantum partem spectet, in caelestem quamdam mathematicam evexerit et receperit cum ethica quidem cognatam quia ambae ad numerum et modum pertineant, — dum sese fingit ad priorem statum exoletam musicam reducentem. Quum id quod purum sit, quod universum, quod vere aeternum, in ratione et usu artium sicuti in

[1] Leg., V, 74 a.

natura pulchri, spectet et in luce ponat, non mirum est si facile tales concipiat artes et talem musicam in quibus nil movere multo melius sit quia nullo modo in melius mutari possint. Contrahit sese musica omnis in scientiam rerum aeternarum atque ita non jam libidini novitatum et voluptatum mobilitati obnoxia fit.

Nec tamen ex eo quod Plato ad scientiam rerum aeternarum progrediens, usitatam rationem artium quasi praeterire et proculcare in quibusdam locis videtur, placita illa ab aestheticis aliena sunt. Merito puram quamdam et rationem artium et naturam pulchri a vulgatis sejungit. Forsitan enim pulchrum purum ideoque vere pulchrum conspiceret is qui in se recreare posset mollem et sincerum animum, teneros et sinceros affectus et sensus pueri cui colores, soni natura placent nonnisi puri et integri, vultus et species ingenua et festiva, atque in sermonibus et modis εὐφημία[1]. Adeo nos consuevimus pro pulchro amplecti mixtum aliquid contrariorum colorum, sonorum, affectuum vicissim sensum moventium, et obliti sumus ordinis et numeri et concinentiae quibus animus nondum deliciis dissolutus neque deformitatis consuetudine studiosus pascitur.

Item haud immerito Plato nobis videbitur artium et musicae rationem velle potius immotam manere quam perpetuis mutationibus affici, — si animadvertemus omnem cujusque artis rationem et praecipue publicarum caerimoniarum et solemnium (in quae quidem artium et musicae apparatum Plato jure contrahit), ut per longum tempus elaboratam, antiquitate niti et tanto plus ad

[1] Leg., VII, 800 e.

recte permovendos animos valere quanto altius radices in profundum anteacti temporis egerit. Omne musicae genus multo majore parte sui idem stat quam immutatur. Imo quum tamen fit per aevum ut sensim et invitis etiam poetis immutetur, ad puram et priorem rationem reverti nulla intermissione quaerit nec rationem consilio vertit nisi redintegrando se, nedum imperitorum obsequio, originis et primi status et normae et finium postremo oblitum fiat. Ex eo colligi porro potest Platonem hoc placito quod nunc dispicimus in luce collocavisse naturam illius rei quae judicium peritorum vocetur, impensae libidini novitatum et voluptatum obsistentis, — ut immotis institutis, et cognitione verae naturae musicae necnon politicae ac ethicae innixae [1].

10. — In summa omnia fere instituta aestheticorum inventa et enuntiata fuisse a Platone comperimus et magnam partem philosophiae ejus his constare, imo his inniti. Eadem musicae ac disciplinae et educationis conditio est. Ambabus in civitate partes et locum et existendi causam tribuit, fere principem sane; necnon simul utramque ad veram naturam revocat. Artes enim et disciplinae in politicam artem se conferunt et politica ipsa Platonica tota se vertit in quamdam disciplinam liberalis ludi speciem habentem, vel in ludum

[1] Ut a Platone novitatum amantes, ita ac fere consimili ratione, aetate nostra aliquando a peritis vel a virtutis magistris scriptores carpuntur, ut qui tantum mores et personas a consuetudine et lege et vera natura discurrentes depingant non sine periculo mutationis in pejus morum disciplinarumque vigentium.

quemdam universam musicam conjunctam cum optima disciplina morum complectentem. Eo igitur ipso una exemplar quo non perfectius concipi potest verae educationis et verae musicae et verae civitatis Plato constituit et proposuit.

TABULA RERUM

VIDI AC PERLEGI
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
pridie Nonas Febr. ann. MDCCCXCVIII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

ERRATA

p. 14, l. 14, « siti » *lege* « sita »
p. 18, l. 24, « ἄν » *lege* « ἂν »
p. 19, l. 2, « δὶ » *lege* « δι' »
p. 26, n. 2, « 'Hδη » *lege* « Ἤδη »
p. 40, l. 1, « versentur » *lege* « versetur »
p. 56, l. 3, « eorum » *lege* « eorum, »
p. 56, l. 5, « gignere » *lege* « se gignere »
p. 56, l. 24, « sermo » *lege* « sermo, »
p. 67, l. 8, « memorandum est » *lege* « memoranda sunt »

71

